Universitätsbibliothek Paderborn

# Enchiridion, Sive Manvale Confessariorvm Et Poenitentivm

Azpilcueta, Martín de

Antverpiæ, 1625

De octauo præcepto, De non false testando. cap. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41661

Visual Library

quod ad nullum genus cambij licíti reducitur. Tum denique quia difficile eſt reducere huiuſmodi lucrum ad lucrum cambij ſeptimæ ſpeciei,& ad nullum alium iuſtum poteſt reduci. Quare conſulendum videtur viris pecunioſis non exercentibus mercaturam, neque intendentibus emere prædia, vel cenſus, etiamſi non mutuarent, vt ſine vllo temporali auctario gratis principaliter mutuent ſuas pecunias prædictis Regibus pro ſpirituali virtutis & meriti, ſperantes minus principaliter aliquam remunerationem antidotalem, aut certe emant ab eis cenſus iuſto pretio cum pacto redimendi conſtitutos ſuper reditibus publicis illarum, vel illarum ciuitatum, vel ſtatuum; habentibus vero pecunias deſtinatas ad lucra prędicta mutuent ſub intereſſe veriſimili lucri ceſſantis.

## De octauo præcepto Decalogi, Non ſis falſus teſtis.

### CAPVT XVIII.

1 *Præceptum octauum quid principaliter, & quid ſecundario prohibeat.*
2 *Teſtans ignotum eſſe verum vt peccat.*
3 *Peccatum verborum ſeptuplex, & præcipue ex intentione iudicandum, & num.4.*
4 *Mendacium quid, quotuplex, & quod mortale, etiam in iudicio.*
5 *Miracula falſa, & vitam ſanctorum fictam prædicans.*
6 *Promiſſio quæ obligat ad mortale, late.*
7 *Deliberatio quæ ad obligationem ſufficit.*
8 *Simulatio, & Hypocriſis mendacia factorum, & quæ mortales.*
9 *Iudicium temerarium quid, & crebro parit mendacium.*
10 *Contumelia, conuitium, & improperium quid.*
11 *Honor quid, & quæ inhonoratio mortalis.*
12 *Correctio iuſta quæ contumelia carere debet.*
13 *Suſurratio quid, quæ mortalis, differt à detractione, & contumelia, & ſeqq.*
15 *Deriſio quid, quæ blaſphemia, & quæ mortalis, num. 16.*

PRo fundamento dicendorum in hoc cap. præſupponimus *primo* ex mente S. Tho. recepta *a*, quod hoc præcepto principaliter prohibetur latio falſi teſtimonij iudicialis, & veritatis celatio,& ſecundario omnis ſignificatio inordinata verborum, ſignorum, & factorum, quæ fit mentiendo, inhonorando, ſuſurrando, deridendo, maledicendo, detrahendo. De quibus omnibus quo ordine propoſita ſunt dicetur,

*a* 2.2.q.122. art.5. ad 2.& latius Alex. Halenſ. in 3. part.q.1.

*Secundo* pręſupponimus, quod omnis ſignificatio huiuſmodi eſt ſaltem peccatũ veniale, per tradita ſupra *b*. Tum quia eſt iniuria

*b* Exclud.7.

iuria verborum, & quęcunq; talis eſt ſaltem venialis. Mortalis autem eſt omnis & ſola illa, quæ fit animo notabiliter iniuſte nocendi in bonis ſpiritualibus, aut temporariis, quamuis non noceat; & illa quæ fit nocendo notabiliter, aut dando cauſam ita nocendi ſine tali animo, aduertendo tamen, aut aduertere debendo per illam notabiliter noceri, aut cauſam notabilis nocumenti dari, alias non, quamuis iniuria grauiſſima ſit, iuxta mentem S. Thomæ *c* declaratam vtrobique per Caietanum.

c Vbi ſupra & q. 73. ar. 2.

*Primo* igitur peccat mortaliter contra hoc præceptum teſtis, qui facit aliquid ex ſeptem poſitis infra *d*: nam falſum teſtimonium ob tria eſt peccatum mortale, iuxta S. Th. *e* quod probatur per cap. 1. *f* puta ob iuramenti violationẽ, quę fere ſemper eſt mortalis *g*. Ob iniuſtitiam, quæ etiam eſt mortalis, quum eſt notabilis, alias non, per ſupradicta *h*: ob perniciem mendacij.

d Cap. 25. n. 39.
e 2. 2. q. 78. art. 4.
f De crimi. falſ.
g Per ſupra dict. in c. 12.
h In c. 11. n. 1

2 Ad noue autem hic quæſitum, An teſtis teſtatus aliquid eſſe verũ, neſciens eſſe tale, ſed credens cuipiam illud affirmanti, teneatur reſtituere illud, quod ob id cõdemnatus ſoluit: Reſpondeo nõ teneri (licet peccet grauiter) ſi affirmans eſſet tãtę probitatis, vt ei confitenti, cõmunicanti, & Chriſtianè viuenti merito credi poſſit, quia iuſte credere poteſt, ſe nemini iniuſtitiam feciſſe *a*, alioqui ſic: & etiam ſi cõtrarium reſcierit, qui contrarium credere debet, nam in claris non eſt locus coniecturis *b*.

a Arg. gloſ. ſingularis l. Titio fundus ff. de condit. & demonſt. ornatæ a Felyn. in c. cum contingat. de reſcript.
b l. continui parag. cum ita ff. de verb. obl.

*Secundo* peccat, qui mentitur notabiliter nocendo, iuxta illud *c*, *Os quod mẽtitur, occidit animã*. Dixi, *notabiliter*; quia alioqui ſolum venialiter peccaret per ſupradicta. Mendacium autem *eſt ſignificatio falſi, vel putati falſi pro vero*, ſecundum Auguſt. *d* nam illud quod additur *e* de animo fallendi, non eſt neceſſarium ad eſſentiam mendacij, ſed ad maiorem eius grauitatem, ſecundum mentem eiuſdem ibidem, & omnium, & ita eſt actus contrarius virtuti, quæ appellatur veritas *e*, quę dirigit ita nos ad conformandum dicta & facta noſtra, vt vera dicamus, & fidem ſeruemus, iuxta S. Tho. *f* Narratio autem fabularum Æſopi, aut aliarum ſimilium, ſignificando expreſſe, aut tacite eas non eſſe veras, non eſt mendacium, vt recte Caietanus *g* inſinuauit: quia non ſignificatur per eas falſum pro vero.

c Sapient. 1.
d In c. homines 22. q. 2.
e In parag. ille ſub cap. beatus eadem cauſ. & q.
f 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.
g In dicta q. 110. art. 1.

3 Diuiditur autem mendacium, *primo* in formale tantum, quo ſignificatur verum putatum falſum, materiale tantũ, quo ſignificatur falſum putatum verum, & mixtum, quo ſignificatur falſum putatum falſum, vt declarat S. Thom. *h* *Secundo* diuiditur in iocoſum, quo tantum delectatio quęritur: Officioſum, quod nemini nocet, & alicui prodeſt: quę duo nõ ſunt mortalia, etiamſi à Religioſo, aut ab alio cuiuſuis ſtatus perfectionis dicãtur: niſi iuramento firmentur, aut cũ magno ſcandalo dicantur, aut animo nõ abſtinendi ab eis: quamuis eſſent mortalia, aut contra cõſcientiam, quæ illa eſſe peccata mortalia dictaret, ſecundum vtrumq; Thomã *i*. Pernitioſum, quod alicui in rebus ſpiritualibus, corporalibus, aut temporarijs nocet, & eſt mortale, quando dicitur

h Vbi ſupra. art. 1.
i In eadem 2. 2. q. 100. art. 3. & 4.

do dicitur cũ intẽtione notabiliter nocẽdi, aut notabiliter nocet. Ad quas tres ſpecies reducuntur illę octo, quas S. Aug. poſuit *k*, quarũ quęlibet ſuo genere eſt mala, etiã ſecundũ Ariſto. *l* quia eſt inordinatus actus, vt ſupra dictũ eſt, & ita non poteſt dici abſque peccato, ſaltem veniali, etiam pro vita, vel anima alicuius ſeruanda *m*, vt ait etiam S. Thom. *n* qui *o* ſenſit, omne mẽdacium iudiciale, etiam leue eſſe mortale: quod verum eſſe de mẽdacio rei ad iudiciũ pertinentis, & non alterius dixit ibi Caiet. & ſentit alibi *p*. Nos tamen aſſeruimus *q* quod mendacium de re leui, etiam pertinẽte ad iudicium, non eſt mortale, cõſentiente doctiſſimo, nec minus Chriſtiano doctore Magiſtro Fratre Martino à Ledeſma profeſſore huius noſtrę Academię Conimbricenſis celeberrimo, qui gloria, & magnũ decus eſt illuſtriſſimi Ordinis Dominicani: quod ipſũ fecimus *a*, poſtquam legimus Sotum de ratione tegendi ſecreti, vbi *b* idem tenet, concludendo, nullum mendacium eſſe mortale, eo ſolo, quod in iudicio exteriori, vel interiori dicatur, quod extra illud dictum, tale non eſſet: nec per conſequens quando non eſt notabiliter dãnoſum, nec iuratum, ſed tãtũ eſſe veniale, vt etiã infra *c* repetemus. Ita quod per ſolã circumſtantiam iudicii, niſi alia concurrant, non ſit mortale. Per quod ceſſat oppoſitio cuiuſdam docti fundata in alio noſtro dicto infra *d*, ſcilicet reũ mortaliter peccare, negando veritatem iudici competenti iuſte interrogãti, qui tamẽ non peccaret negando extra iudiciũ alteri: quia ibi pręter circumſtantiam iudicii concurrunt ſaltẽ duę alię, ſcilicet, iuramentum, ſub quo reſpondet reus, & quod lex diuina & humana obligant dicere verum, quando iudex cõpetens iuſte interrogat, iuxta S. Thomã receptum *e*, & probatur tit. *de interrog. actio.* & quod ſit notabile damnum accuſatori *f*, aut Reipub. cui notabiliter intereſt crimina puniri *g*.

4 *Tertio* peccat, qui mẽtitur in materia fidei ſacrę Scripturę, vel morũ, quia de ſua natura eſt notabiliter pernitioſum, iuxta S. Tho. *h* quod ibi limitat Caietanus, non procedere quãdo id fit per ſolum multiloquiũ, vel aliàs ſine animo & periculo nocẽdi notabiliter, & perſuadendi aliquod falſum alicui. Vnde infertur, nõ eſſe mortale allegare falſò in pulpito, vel in cathedra, dicẽdo tale quid eſſe in illo, vel illo c. vel lege, quod eſt in alio, aut tribuere Auguſt. Hierony. Bart. vel aliis, quod alius dicit.

5 *Quarto* peccat, qui concionando falſum miraculum, ſciens tale eſſe, narrat: aut data opera vitam alicuius Sancti aliter, quã ſit, fingit, iuxta Caietanum *i*, quia eſt pernitioſum notabiliter, quoniam ex parte dicentis fides & exiſtimatio miraculis Chriſti, & eius ſanctorum adimitur.

*Quinto* peccat, qui promiſſionem obligantẽ ad mortale non adimplet eo modo, quo debet *k*, quia ſpecies mẽdacii notabiliter pernitioſi eſt talem fidem & promiſſionem nõ adimplere.

6. Porro promiſſio quę obligat ad mortale, *eſt omnis vera, deliberata,*

k In ca. primum 22. q. 2.
l In 4. Ethi.
m Cap. ſuper eo de vſur. & in d. c. primũ.
n Vbi ſupra art. 3.
o In q. 69. a. 1
p In dicta q. 110. art. 4.
q In c. fratres n. 27. de pœn. di. 5.
a In reper. ca. inter verba 22. qu. 3.
b Membro. 2. qu. 7.
c Cap. 21. n. 37
d Eodem n. 37.
e In 2. 2. q. 69. art. 1. & q. 70. art. 1.
f Cap. quiſquis 7. q. 8.
g Cap. vt famã, de ſent. excommun. & l. ita vulneratus, ad l. Aquil.
h In d. q. 110. art. 4.
i Vbi ſupra.
k Cap. iuramenti 22. q. 5 & c. 1. de pact.

*berata,*

*berata, & voluntaria, etiam nuda, rei licitæ, poſſibilis, & notabilis, quã mutatio rerum ſtatus non eneruauit.* Dixi, *Omnis*; vt non ſolum comprehenderet promiſſionem factam Deo, quale eſt votum, de quo ſupra *l*, ſed etiam homini, etiam hoſti *m*, & non ſolum expreſſam, ſed etiam tacitam *a*. Dixi, *Vera*; ad excludendam fictam, quę fit animo non obligandi, vt ſentit S. Thom. *b* Quamuis peccet ſignificando habere animum ſe obligandi, quem non habet, etiam mortaliter, ſi alicui notabiliter noceat, vel intendat nocere, per prædicta.

Ex quo infertur, nõ obligare promiſſionẽ, cuius cauſa principalis nõ eſt vera, ſi ei, qui promiſit, nõ erat animus ſe obligandi abſq; ea; nec refert quoad forũ conſcientię, vtrũ cauſa exprimatur, aut taceatur: quia opinio Collect. & Pan. *c* qui expreſſionẽ cauſę requirunt, intelligitur in foro exteriori, in quo abſq; ea animus obligandi nõ pręſumitur, vt recte inſinuauit Sylu. *d* nõ autem in foro conſcientię, in quo ſoli veritati ſtandum eſt *e*.

7 Dixi, *Deliberata*; quia facta abſq; deliberatione ad id neceſſaria non obligat, per ea quæ ſupra *f* de voto dicta ſunt. Ex quo colligi poteſt, quod illa deliberatio ſufficit, & requiritur, quæ ſufficit, & requiritur ad votum. Dixi, *Voluntaria*; quia metu, aut dolo extorta non ſufficit in conſcientia: niſi adſit iuramentum, iuxta S. Tho. *g* nec etiam in foro exteriori: quia quãuis regulariter actori actio detur; reo tamen exceptio conceditur *h*. Dixi etiam, *Nuda*; quia iure naturali, diuino & canonico etiam illa obligat *i*. Dixi, *Rei licitæ*; quia illicitæ non obligat *k*. Dixi, *Poſſibilis*; quia promiſſio rei impoſſibilis nõ obligat *l*. Dixi, *Notabilis*; quia cum furtum rei nõ notabilis non ſit peccatum mortale, licet veniale ſit, vt ſupra dictũ eſt *m*; à fortiori nec violatio promiſſę rei exiguę erit mortalis, quãuis venialis ſit: quæ autem res ſit notabilis ſupra dictum eſt *n*. Per quod à mortali excuſãtur, qui promittunt alicuius nomine ſalutem alicui ſe dicturos, aut alia mandata parui momenti ad aliquem perlaturos, & poſtea non perferunt. Et qui precationem Angelicam, & alia ſimilia parua pollicentur, etiamſi iuramento, aut voto idipſum cõfirmaſſent, ſecundum eos, quos in hac traductione ſequimur *o*.

Dixi, *quam mutatio rerum ſtatus non eneruauit*; quia tali mutatione ſuperueniente non obligat, iuxta Senecam *lib. de benefic.* approbatum per S. Thomam *p*: Vt ſi is, cui promiſi enſem, inſanierit *q*. Vel ſi quã promiſi ducere, fornicata fuerit *r*. Vel ſi quod tempore promiſſionis erat licitum, fiat illicitum *ſ*. Vel ſi altera pars eam remittat, vel pro ſua parte non impleat id cuius cauſa promiſſio facta eſt *t*. Dixi, *Cuius cauſa, &c.* quia ſi alicui abſolute aliquid promiſeris, ſine reſpectu rei ab eo promiſſę; cõtra, ille aliquid tibi promiſerit ſine reſpectu rei à te illi promiſſę nõ liberaberis ab obligatione ex eo quod tibi nõ ſatisfaciat; nec cõtra

l Ca. 12. n. 14.
m Cap. noli. 23. qu. 1.
a l. labeo. & l. item quia ff. de pact.
b 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. & facit c. humanæ 22. q. 5. & l. obligationũ 1. ff. de actio.
c In ca. 1. de don. & in c. ſi cautio. de fid. inſtr.
d Verb. pactũ qu. 4.
e Cap. humanæ aures 22. q. 4. & c. tua de ſponſ.
f Ca. 12. n. 24. & 26.
g 2. 2. q. 89. a. 7
h l. 2 C. de inutil. ſtipu. & l. ad inuidiã C. de his quæ vi.
i Cap. 1. de pact. & l. 1. ff. eod. tradi. Inno. in ca. nouit. de iud. & Fel. in proœmio Gregoriano n. 25. & in c. quæ in eccleſiarũ, de conſtit. n. 55. poſt Bart. in extrauag. ad reprimendã verb. denuntiationem.
k Ca. in malis 22. qu. 4.
l l. impoſſibilium ff. de reg. iur. c. nemo ad impoſſibile, eod. tit. li. 6.
m Cap. 17, nu. 3.
n Cap. 17. n. 4.
o In d. c. 11. iureiur. n. 10. & 40.
p 2. 2. q. 110. art. 3 ad 5.
q Ca. ne quis 2. 2. qu. 2.
r Cap. quemadmodum, de vbi gl.
ſ Arg. cap. Quintauallis.
t l. cum proponas, C. de pact. c. peruenit 2. de iureiur.

ille ex

ille ex eo, quod tu illi non ſatisfacias *a*. Quæ non ſunt intelligenda de qualibet mutatione, ſed de illa quam ſi promittens præcogitaſſet, non promiſiſſet, cui fides habenda eſt in foro conſcientiæ *b*, & etiam exteriori, ſi iudicio prudentis viri conſideratis negotij circumſtantijs nequaquam promiſiſſet, ſi illud præcogitaſſet, qua de re copioſius *c* ſcripſimus.

a Iuxta notata in d.c. peruenit, & dicta l. cum proponas.
b Iuxta gloſ. ſing. cap. ſignificaſti 2. de homicid.
c Super glo. d.c. quemadmodum.

8 *Sexto* peccat mortaliter, qui factis rem aliquam falſam pro vera in damnum notabile alterius ſignificat, vt qui vult apparere bonus, aut facit quo appareat talis, nolens eſſe talis, quia eſt mendacium pernitioſum: nam mendacium dicitur etiam in factis, qualis eſt ſimulatio qua ſignificamus eſſe, quod non eſt, & hypocriſis, qua ſignificatur bonus qui non eſt talis, iuxta mẽtem S. Auguſtini, & Iſidori explicatam per S. Th. *d* aſſerentem, paria eſſe factis, aut verbis mentiri: facere autem aliquid quo quis appareat bonus, quum non ſit, ſine notabili alterius damno ſolum eſt veniale, ſed facere opera quibus bonus appareat, cum non ſit, ſine intentione oſtendendi ſe bonum, non eſt etiã veniale, iuxta mentem omnium, quam recte Caietanus explicat *e*; niſi collimetur illud in aliquem finem malum, puta, vt aliquas hęreſes doceat, aut aliquam dignitatẽm eccleſiaſticã, aut temporariam, qua indignus eſt, conſequatur, aut niſi in tali ſimulatione ſuum vltimum finem conſtituat, iuxta Alex. *f* & Caietanum *g*. Peccat etiam, ſaltem venialiter, qui vult bonus videri, cum non ſit, etiam ſi id ad ædificationem proximi referat: quia non ſunt facienda mala, vt inde bona eueniant *h*. Ad nouẽ hic quæſitum, ſcilicet, An peccet, qui fingit ſe talem genere, conditione, gradu, &c. qualem requirit optio ad collegia, vel alia munera? Reſpondimus, quod ſic, per dicta *i*.

d 2.2. qu. 11.
e In ſummã verb. Hypocriſis.
f 2. part. de Hypocriſi.
g Vbi ſupra.
h Rom. 3. c. neque c. denique 14. q. 5.
i Supra c. 17. num. 107.

9 *Septimo*, qui per leuia, & minus idonea indicia, aut ſigna, in iudicio, aut extra illud, firmiter iudicat de proximo aliquid mali in eius damnum notabile, vel quod peccat mortaliter, aut eſt in peccato mortali: quia eſt mendacium mentale pernitioſum contra illud *k*: *Nolite ante tempus iudicare*, ſecundum mentẽm S. Thomæ *l*. Qualis eſt, qui damnat peccati mortalis aliquem bonę exiſtimationis, aut incognitum, eo ſolo quod videat eum cum muliere ſecreto loquentem, vel eo quod videat aliquem comedere mane, aut ſæpe in die ieiunij ex præcepto; quia forte cauſam non ieiunandi habet; aut eo quod vidit aliquem non ita familiariter atque ſolebat cum aliquo verſari, aut leuem aliquam iram oſtendere; quia non omne odium, & omnis indignatio mortifera eſt, vt ſupra diximꝰ *a*: & alij ſimiles, qui firmiter facile iudicant alios occidiſſe, vel furatos fuiſſe.

k 1. ad Cor. 4. l. 4.
l 2.2. q. 60. a. 6.
a Cap. 24. n. 19.

10 *Octauo* peccat, qui alicuius honorem notabiliter intendit lædere, vel lędit, aut cauſam dat lędendi per contumeliam, conuitium, vel improperium, ſecundum S. Thomam *b*, iuxta cuius mentem *contumelia* eſt *ſignificatio alicuius mali culpæ facta præſentis* vt appellando furem:

b 2.2. q. 72. art. 2.

Pro quo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pro quo facit l. 1. c. *Conuitium* vero, *ſignificatio facta præſenti alicuius mali culpæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ*: vt appellando furem vel cæcum *d*: *Improperium* autem eſt *ſignificatio beneficii tempore neceſsitatis ei collati*: quamuis hæc nomina frequenter confunduntur.

c ff. de iniur.
d l. ſi non conuit. C. de iniur.

11 Quæ tria ſunt contraria honori: quoniam honor eſt *exhibitio reuerentiæ in teſtimonium alicuius excellentiæ, maxime virtutis*, ſecundum S. Thomam *e*, de quo nos latius *f*.

Dixi, *Lædere intendit*, &c. quia ſi huiuſmodi ſignificatio fieret cauſa iuſtę caſtigationis, aut correctionis, non eſſet peccatum: nam Chriſtus appellauit diſcipulos ſtultos *g*, & Apoſtolus Galatas inſenſatos *h*.

e 1. 2. q. 2. ar. 2. & melius, 2. 2. q. 63. a. 3.
f In d. repet. c. in verba, n. q. 3. conclu. 3 & ſeq.
g Lucæ vlt.
h Ad Gal. 3.

12 Dixi, *Iuſte*, videlicet cum cauſa principalis eius eſt correctio, & non ira: quia ſi hęc eſſet cauſa principalis, graue peccatum foret, & frequenter mortale, vt ait Sylueſter *i*: cui addo *primo* S. Thomam dicere *k* quod quamuis hoc abſque peccato fieri poſſit, fit tamen rariſſime, vbi ait Caietanus numquam id fieri poſſe, niſi quando ſpecialiter Spiritus ſanctus inſpirat, dicente Cicerone *l*, *Omnis animaduerſio, & caſtigatio contumelia vacare debet*. *Secundo*, quod vt abſque peccato fiat, etiam propter correctionem, oportet vt ſolum ſignificetur vitium, cuius correctio pręenditur; alioqui enim eſſet mentiri, & ſic peccaretur *m*. *Tertio*, eum qui contumeliam alteri facit, animo eum infamandi, pręter peccatum contumeliæ etiam detractionis committere, & non ſufficere confiteri, quod alteri dixerit contumeliam, ſed oportet confiteri, quod eam dixit, & intentione eum infamandi, vt ibi ſupra *n* diximus.

i Verb. contumelia.
k In eodem art. 2.
l 1. Offic.
m Cap. primum, 22. q. 2.
n Nu. 416.

13 *Nono* peccat, qui bonam amicitiam aliquorum intendit notabiliter lędere, vel lædit, aut dat cauſam lędendi per ſuſurrationem, animaduertens, vel animaduertere debens, ſe id facere, per dicta *o*. Suſurratio autem eſt *ſignificatio inordinata mali culpæ alienæ, vel pœnæ, vel defectus naturæ alteri facta, per quam ſeritur diſcordia, vel cauſa diſcordandi inter eos*, ſecundum S. Thomam *p*, ſecundum quem ibidem eo differt à contumelia, quæ lædit honorem, & à detractione, quę famam, quod hæc lędit amicitiã: & eſt grauiſſimum peccatum, ſecundum eundem ibidem, & non debet abſolui, donec, quoad eius fieri poterit, illos inter ſe reconciliet; aut ſi id præſtare non poteſt, damnis inde ſequutis iudicio boni viri ſatisfaciat, iuxta ſummam Roſel. *a* noſtro tamen iudicio abſoluendus eſt, modo firmiter hoc facere proponat, per dicta ſupra *b*.

o Supr. nu. 2.
p 2. 2. q. 74. art. 2.
a Ver. inuidia, parag. 6.
b Cap. proximo, nu. 59.

14 Dixi, *Bonam amicitiam*; quia ſanctũ eſt (iuxta illud *c*. *Non veni mittere pacem ſed gladium*) tollere malam: qualis eſt concubinariorum: qualis erat Iudęorum contra S. Paulum *d*. Dixi, *Notabiliter*; quia exigua lęſio non eſt mortalis, per ſupradicta *e*. Dixi, *Per ſuſurrationem*, quia ſi fieret per ordinatam ſignificationem, non eſſet peccatum, per ea quæ dicta ſunt de bona amicitia: & de

c Matt. 10.
d Acto. 23.
e Eod. nu. 3.

f Lib. 5. q. 5. de iuſt. & iu.

tali neceſſario eſt intelligendum id quod ait Sotus *f*, dicens licitum eſſe vni minuere de amicitia duorum, quo cum eorum altero amicitiam contrahat, cum quo abſque illa diminutione non poteſt: & id quod ſubdit non eſſe ſcilicet pluſquam veniale minuere amicitiam aliquorum, nulla inter eos inimicitia inducta, neceſſario etiam eſt intelligendum de diminutione, quę non lędit notabiliter: quia neminem excuſat à mortali lædentem alium notabiliter propter vtilitatem ſuam vel alienã *g*.

g Cap. forte & c. denique 14. q. 5. & c. non eſt putanda, 1. q. 1.

15 *Decimo* peccat, qui notabilem erubeſcentiam, vel animi perturbationem per deriſionem intendit inijcere alicui, vel inijcit, aut dat cauſam illius, aduertens, vel aduertere debens ſe id facere, per prædicta *h*. Deriſio autẽ eſt *ſignificatio inordinata mali, culpæ, aut pœnæ, vel defectus naturæ ad inijciendam erubeſcentiam*, ſecundum S. Thomam receptum *i*, ſecundum quem eundem eo maior deriſio eſt, quo maior eſt qui deridetur, & minus debet derideri. Quare maxima eſt Dei, Sanctorum, & rerum ei ſacrarum, ſed *k* hæc etiam eſt blaſphemia, vt ait Caietanus *l*. Proxima huic eſt deriſio parentum *m*; & huic proxima bonorum iuſtorum *n*.

h Num. 2.
i 2. 2. q. 75. art. 1. & 2.
k Pſal 27.
l In dict. a. 2.
m Prou. 30.
n Ioan. 12.

16 Deriſio etiam aliorum qualificata vt ſupra, eſt mortalis, ſecundum omnes: in quam ſæpe Aulici incidunt, qui ſine vlla miſeratione eo magis aliquẽ derident, quo magis erubeſcit. Dixi, *Inordinata*; quia ordinata, vt iocoſa, de exiguo aliquo malo alterius, vt paruo rubore ſuffundatur, eſt actus virtutis Eutrapelię, quem S. Tho. *o* iucunditatem vertit, & inclinat ad recte vtendũ iudicijs. Venialis autem quando parũ exceditur modus. Mortalis vero inducit magnã & notabilẽ perturbationem, iuxta omniũ ſententiã. Differt autẽ ab alijs verborũ peccatis: quia eius finis eſt, vt quis turbetur & erubeſcat, ſecundum S. Thomam *a*.

o 2. 2. quæ. 168. art. 2.
a In d. q. 75. art. 1.

*Vndecimo* peccat, qui maledicit, &c. vt ſupra in ſecũdo præcepto *b*, dictum eſt, hoc addito, quod maledictio non accipitur hic pro maledicto, ſed pro imprecatione mali, iuxta S. Thomam *c*.

b Ca. 12. nu. 80. & infra c. 23. nu. 117.
c Vbi ſupra. quæ. 76.

## De detractione ſiue murmuratione.


17 *Bonis in quinque honorarijs nocens vt peccat.*
17 *Detractio quid, quotuplex, & quæ mortalis, & 18. 21. & 22.*
19 *Fama quid, vt hic accipitur, & quotuplex.*
20 *Famæ damnum notabile quid & 21. 22. 23.*
24 *Detractor quod falſum imponens peccat mortaliter, & 25.*
26. *Detractor, qui ſecretum detegit, peccat mortaliter, & 27.*
28 *Prodigalitas etiam famæ regulariter non eſt mortalis.*
29 *Detractor qui ſuum crimen detegit etiam tortus.*
30 *Detractor non eſt accuſator, aut alias iuſte crimen detegens, & ſeq.*
34 *Detrahit qui inuentor libelli famoſi illum legens nu. 34. & 35.*
36 *Detractor quis audiens, vel referens mala, vel bona tacens, nume. 37. & 38.*


37 *Detractor*

37 *Detractor quis iudex inquirens, interrogans, vel iubens denuntiari, vel viſitans, aut procurans occulta ſcire, nu. 39. 40. & 41.*
42 *Reſtituere famam, vel alias compenſare læſor, & hæres tenentur, & ſeqq.*
44 *Famam non læſam tentans eam lædere non reſtituat, etiam ſi &c.*
45 *Fama læſa mendacio aliter quam læſa vero reſtituenda.*
46 *Famæ reſtitutio condonari etiam iuſte poteſt, niſi &c.*
46 *Debitum condonat is cui principaliter debetur.*
47 *Famæ ablatio an compenſetur ablatione reciproca.*
47 *Famæ debitum non tam facile tollitur, ac actio iniuriarum.*
47 *Famæ reſtitutio excuſatur vitæ, vel ſalutis periculo, & obliuione, & num. 48. & ſeqq.*
49 *Reus negans quis non infamat accuſantem.*
50 *Famam qualis relator mali non reſtituit.*

17 D*Vodecimo* peccat mortaliter, qui alicuius aliquod quinque bonorum honorabilium, ſcilicet laudis, honoris, famę, glorię, & reuerentię, quę infra *a* definientur, notabiliter intendit lædere, vel lædit, aut dat cauſam lędendi: quod frequēter fit per detractionem, ſecundum S. Thomam, *b* ſecundum quem ibidem, & latius tradita per nos *c* Detractio ſiue murmuratio, vel infamatio, quę pro eadem re hic ſumuntur, definiri poteſt eſſe *ſignificatio alicuius mali cuiuſpiam hominis non canonizati inordinata, expreſſa ſiue directa & tacita, ſiue indirecta, qua læditur, vel periclitatur eius fama, vel gloria.*

a Capit. 23. num. 9.
b 2. 2. q. 73. art. 2.
c In repet. c. inter verba, 11. q. 3. concluſ. 6.

18 Dixi, *Significatio*, pro genere, in quo conuenit cum mendacio, & cum omnibus alijs verborum peccatis ſupradictis. Dixi, *Alicuius mali*, ad comprehendendum omne malum culpę, pœnæ, & defectus naturę, & etiam diminutionem boni. Dixi, *Cuiuſpiam & non alterius*, per ſtatim dicenda. Dixi, *Hominis non canonizati*: quia infamatio famæ & glorię Dei, Angelorum & Sanctorum, imo & creaturæ irrationalis, quatenus eſt creatura Dei quoad eius naturam, non eſt detractio, ſed blaſphemia, ſiue id fiat ad inhonorandum, ſiue infamandum, ſiue iocādum, & deridendum ſecundū mentem S. Thomę *d*, licet Angeli & canonizati noſtri proximi ſint, iuxta S. Auguſtinū de doct. Chriſtiana, relatum à S. Thom. *e* Dixi, *Inordinata*; quia nō eſt mala, imo bona ſignificatio iuridica, vt dicit S. Antoninus *f*. Dixi, *Expreſſa ſiue directa*, ad includendam illam, qua directe ſignificatur malum aliquod. Dixi, *tacita vel indirecta*, ad includendam illam, qua dicendo bonum ſignificatur malum; qualis eſt illa, qua quis dicendo quod monachus eſt robuſtus, rubicundus, pinguis, artis venandi & equitandi valde peritus, ſignificat tacite, quod carni magis, quam ſpiritui ſeruit. Dixi, *Læditur*, & non *tollitur*, ad includendam læſionem partis famę. Dixi, *Aut periclitatur*, ad includendam ſignificationem mali, qua non læditur fama, ſed eſt cauſa ſufficiens lædendi ex parte ſignificantis, vt quum

d 2. 2. q. 73. a. 3. & qua. 13. art. 1.
e 2. 2. q. 25. art. 10.
f 2. part. tit. 8. cap. 4. in princ.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſignificatur malum alicui non credenti illud propter ſuam virtutem, vel vilitatem dicentis, vel auctoritatem fide dignioris ei contradicentis. Dixi, *Fama vel gloria*; quia ſignificatio mali, quatenus tollit honorem, non eſt detractio, ſed cõtumelia, vt ſupra. g Non addidi tamen, vt S. Thomas & Antoninus, & communis, verbum, *Aliena*; quia non ſolum eſt detractor, qui alium, ſed etiam qui ſe ipſum infamat, vt idem Sanctus Antoninus dixit *h*, & ſentit Caietanus *i*, dicentes, peccare eos, qui ſeipſos infamant: quamuis metu tormentorum id faciant: quod tamẽ *k* moderamur. Nõ etiam addidi, *Secreto*, vt prędicti: quia quamuis regulariter detractio in abſentia fiat, poteſt tamen fieri in præſentia, vt ſæpe fit: nam qui alteri pręſenti malum ſignificat, quo eum infamet, quamuis id (vt communis dicit) ſit contumelia, quatenus tollit honorem, eſt tamen etiam detractio, quatenus famam tollit, vt idem S. Antoninus vbi ſupra explicauit, & probatur per illud *a*:

g Eod nu. 1. h 5. par. tit. 8. c. 4. parag. 21. verſic. primo modo. i 2. 2. q. 73. art. 2. k Vbi ſupra & inf. nu. 29. a Ethic. 5.

*Qui furatur vt adulteretur, per ſe loquendo, magis adulter eſt quam fur.*

19 Porro fama, vt hic accipitur pro bona tantum, eſt *exiſtimatio bona de aliquo, qua putatur bonus, vel habilis in aliquem bonum vſum.* Dixi, *Exiſtimatio*, pro genere, vt non ſolum comprehendat opinionem communem, ſed etiam particularem & ſingularem vnius, vel alterius, per infra dicenda. Dixi, *qua putatur*; ad includendam exiſtimationem, qua quis putatur habere aliquod bonum, quod non habet, vel non tantum, quantum putatur habere. Dixi, *bonus*; propter exiſtimationem, qua putatur habere virtutes Theologales, vel morales. Dixi, *Vel habilis*; &c. ad includendum exiſtimationem qua quis putatur habere prudẽtiam, & alias virtutes intellectuales, & literas, artes, ſagacitatem, induſtriam, habitudinem, vires, vel alias dotes animi, vel corporis inditas, vel quęſitas.

20 Vnde ſequitur, quod fama eſt duplex. Altera, quá quis putatur eſſe bonus moraliter. Altera, qua putatur vtilis ad aliquẽ finem. Quamuis autem præfata quinque honorabilia differant inter ſe quoad alia, vt traditur *b*, quoad materiam tamen pœnitendi, & confitendi parum differunt: & ideo quidquid hic de lædente famam dicitur, intelligi poteſt de lędente alia. Famę vero & aliorum quatuor bonorum honorabilium damnum eſt duplex, Leue & Notabile. Leue eſt, quod non eſt notabile. Notabile autem damnum, *quod eſt cauſa, vt infamato aliquod bonum notabile animæ, corporis, vel pecuniarum auferatur, aut putetur tali bono indignus*, quod aperte ſentit Caiet. *c* quamuis non ita explicet. Bonum autem notabile animæ, corporis aut honoris dicitur, *quod viro prudenti, & bono tale videbitur, conſideratis circumſtantijs perſonæ, loci, temporis, & alijs d*: quamuis ſupra *e* viſi fuerimus determinare quantitatem damni notabilis pecuniarij.

b In dicto c. 23. num. 9. c 2. 2. qu. 73. art 2. d Argu. l. 1. ff. de iure deſib. & c. de cauſis de off. deleg. e Cap. proximo num. 3.

21 Detractio porro diuiditur primo in ſeptem ſpecies, ſecundum Alex-

dum Alex. Alenſem *f*, & S. Thomam *g*. Et tres ſecundum Scotum *h* Sed, vt *i* diximus, reducuntur ad duas, quæ ſunt ſignificatio mali falſi, & mali veri ſecreti. *Secundo* diuiditur in formalem tantum, & materialem tantū, & formalem & materialē ſimul, vt *k* mendacium diuiſimus. Formalis tantum eſt, *quæ fit animo lædendi, & non lædit*. Materialis tantum eſt *quæ lædit, & non fit animo lædendi*. Formalis, & Materialis ſimul eſt, *quæ fit animo lædendi, & lædit*. Porro quęlibet detractio ſuo genere eſt peccatū mortale: quia lōge maius bonum eſt talis fama, quam pecunia *a*. Et læſio pecuniæ, qualis eſt furtū, eſt ſuo genere mortale, vt dictū eſt *b*: ergo & detractio. Dixi, *Famæ morum*; quia ſecus eſt de detractione famę aliorum donorum, vt mox dicetur. Eſt autem mortale quoties fit animo famam proximi notabiliter lędendi, aut abſque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat cauſam eiuſmodi læſionis, aduertens aut aduertere debens probabiliter ex ſuo dicto aut facto tale damnum inferri, vel illatum iri. Veniale tantum eſt, quoties fit animo lędendi parum, aut ſine malo animo parum nocet, aut notabiliter, ſed ignoranter, vel ſciens, vel inaduertenter, quum non teneretur aduertere *c*.

22 *Decimotertio* peccat mortaliter, qui peccatū falſum mortale alteri imponit: quia per hoc bona fama morum alicuius notabiliter læditur, niſi per aliquam circūſtantiā damnum famę notabile, & periculum eius probabile excuſetur. Dixi, *Peccatum*; quia detegere falſos defectus naturales: puta, quod eſt luſc⁹, claudus, mācus, gibboſus, ignarus, & alia huiuſmodi, quę non pertinent ad bonam famā morum, non eſt ſuo genere, nec regulariter mortale, vt prędictum eſt, quia id de ſe non infert damnū notabile famę, nec dat illi cauſam, vt vbi ſupra probamus. Dixi, *Mortale*; quia imponere, vel detegere veniale nō eſt de ſe mortale, quia de ſe non infert damnū famę notabile, per proxime dicta. Dixi, *De ſe*; quia per accides poteſt eſſe mortale: vt cū ex impoſitione, vel detectione venialiū cuiuſpiā fama notabiliter lęditur. Vnde quidquid aliqui dicant, inter impoſitionē, & detectionem venialium & mortalium hoc intereſt, quod horū detectio nō infert de ſe dānum notabile, illorū vero ſic: & ita nōnumquam hæc eſt mortalis, & illa venialis. Et conſequenter nō eſt vſquequaque verū illud S. Antonini *d*, & Sylueſtri *e*, ſcilicet, detractionem, quę generalibus verbis ſua natura tam mortalia, quam venialia comprehendentibus fit, non eſſe mortale: quia imo eſt, quando cū dāno notabili aut magno eius periculo fit, aut corā eiuſmodi perſonis, de quibus credi poteſt, eos tā maculas mortales, quā veniales concepturos eſſe: niſi expreſſe aut tacite nō niſi de ſolis venialibus verba fieri admoneātur. Dixi, *Falſum*; quia lōge rarius excuſatur à mortali qui imponit falſum mortale, quā qui detegit verū mortale, vt mox dicā. Per falſum autem intelligo etiam verum putatū falſum, quæ eſt detractio formalis tantum, quæ quoad detegentem eſt perinde malū, ac

 ſit falſum

f 2. part. qu. 146. memb. 1. ſub. fin.
g 2. 2. q. 73. a. 3. ad 3.
h In 4. libro ſent. diſt. 15. q. 4.
i Vbi ſupra.
k Supr. eód. num. 2.
a Prou. 22. & Eccl. 41.
b Sup. cap. proximo, nu. 2. & ſeqq.
c Arg. ca. 2. de conſtit. parag. notandum. 1. q. 4. ſub c. turbatur.
d In 2. part. tit. 2. c. 4. in princ.
e Verb. detractio parag. 2.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ſi falſum eſſet *a*. Dixi, *Alteri*; quia imponere ſibi non eſt mortalę regulariter, & de ſe. *b*

25 *Decimoquarto* peccat, qui imponit peccata venialia falſa, aut defectus naturales, vel pœnæ falſos cum talibus circumſtantijs, quod inferunt damnum famæ notabile, vt ex proxime dictis colligitur. Noui quemdam virum inſigniter eruditum & probum, ab adipiſcendo egregio quodam munere impeditum per culpas veniales vanitatis & iracundiæ falſas: & quendam alium per defectus generis, viſus, & virium naturalium falſos, ab amicitia valde vtili, & honorabili repulſum, per quod proxime dicta confirmantur.

26 *Decimoquinto* peccat, qui peccatum verum mortale ſecretum alterius detegit inordinate: niſi aliqua circumſtantia excuſet à mortali: quia licet longe grauius peccet ratione falſitatis, qui falſum imponit, quam qui verum ſecretum detegit; ex parte tamen nocumenti famę pares ſunt, quod ſufficit ad hoc, vt detractio ſit mortalis, per dicta *c*. Dixi, *Secretum*; quia detegere notoria facti, vel iuris, vel famoſa ſine mala intentione nocendi, non eſt peccatum ſaltem mortale: quamuis illi, quibus deteguntur, ea ignorent: nec in regione vbi deteguntur, ſcirentur: vt ſi quis in Luſitania diceret, illum, vel illum in Caſtella fuſtibus ictum fuiſſe, etiamſi ille ſit in Luſitania præſens, & ab ijs quibus dicitur cognoſcatur: vt copioſe *d* probauimus quatuor fundamentis, & trium contrariorum ſolutionibus muniuimus, & ſentit Caietanus *e*, & ante illum Ioan. Maior. *f* Addidi, *Notoria iuris*; quia quę contra ordinem iuris diuulgata fuerunt, propter infamiam diuulgari non poſſunt in eo loco ad quem illa non peruenit, Sotus *g*. Et idem dicendum de detectione illorum, quę cito diuulganda ſunt, facta ei, qui ea cito cogniturus eſt, iuxta S. Thom. *h* quem ibi retulimus.

27 Dixi, *Alterius*; quia detegere propria peccata vera, & ſecreta, & imponere ſibi falſa, ſuo genere, & regulariter non eſt niſi veniale: quamuis per illud notabiliter fama lædatur aut omnino amittatur, vt magiſter Sotus *i* explicuit, & multo ante Adrianus *k* ſenſit, quem ille non citat.

28 Quia prodigalitas regulariter non eſt peccatum mortale, vt ſentit S. Tho. *l* & detectio proprij peccati, non eſt iniuſtitia, ſed prodigalitas famæ, iuxta glo. memorabilē *m*, & per alia quę adduximus alibi, vbi conciliando cū hac opinione cōtrariā Caietani diximus, illam defendi poſſe, quando ex ipſius infamia dānū animę, aut vitę proprię, aut alienę, aut honoris, aut bonorū alienorū ſequitur. Animę propriæ, vt quando indigens notabiliter fama ad ſe honeſte continendū eam prodigit. Dixi, *Animæ alienæ*; vt qui pro iuſto habitus, hęreſes, aut alia turpiſſima ſua delicta detegit, quod probabile eſt fore cauſā, vt alij in eadē incidāt. Dixi, *Vitæ propriæ*; vt qui crimē aliquod detegit, ob quod eiuſdē, aut alicuius mēbri iacturā mercatur. Dixi, *Infamiæ alienæ*; vt qui

*a* Arg. c. homines, 22. q. 2
*b* Vbi infra, n. 27. dicetur
*c* Supr. eod. ca. num. 2.
*d* In dicta reper. c. Tomo 2. Opuſculor. tract. 31. reſponſ. 9.
*f* Diſt. 21. q. 2
*g* Lib. 5. q. 10. ar. 2. de iuſt. & iure.
*h* In 3. libro ſent. diſt. 19. q. 2. a. 3. ad 1. & 2.
*i* Lib. de ratione tegēdi ſecret. vel detegendi. memb. 1. q. 3.
*k* In 4. de reſtit. q. 35. & Quolib. 11. pag. 170.
*l* 2. 2. q. 120. art. 2. & 3.
*m* In Proœmio Gregoriano verb. prodig.

vt qui monachus, aut monialis ſeipſum infamant peccatis, quę ipſorum ordini, aut monaſterio notabilem infamiam inferunt. Dixi, *Bonorum alienorum*; vt quum is, cuius opera ad ſui gubernationem Reſpubl. indiget, ob illam ſe facit ad id ineptum. In quibus quatuor caſibus nemo neget, eſſe peccatum mortale ſeipſum infamare: quia præiudicat alteri, vel ſibi in his, quę iure renuntiare non poteſt, qualis eſt ſalus animę, & ad illam neceſſaria *a*. Qualis eſt etiam vita, & amiſſio membri, & corporis *b*. Aliorum vero præfatorum communis, & noſtra opinio procedat regulariter extra hos quatuor caſus: quamquam hæc conciliatio omnino vtrorumque mentibus non congruit: quæ omnia limitantur procedere, quum non peieratur: quia omne periurium ſuo genere eſt mortale, vt dictum eſt ſupra *c*.

29 Ex quibus ſequitur à fortiori, regulariter non eſſe mortale de ſe confiteri crimina falſa, aut vera occulta ob metū tormentorū, cum facere illud ſponte non ſit tale. Eſt tamen mortale in quatuor caſibus proxime dictis, niſi cū aliquod tale detegit perſuaſus torquendū eſſe, donec confiteatur, aut vitam amittat, vt ſingulariter & noue dixit Sotus *d*, quia in eo caſu, vt ille ait, nō tam mortis ſuæ dat cauſam, quam vna morte multas redimit, quem *e* ſequuti fuimus, quamuis nunc diſpliceat: niſi quando certus eſſet per alias coniecturas, quā per minas iudicis, quod vſq; ad mortē torquebitur, vt quia ſolitus eſt iudex ſæuire ita torquendo. Tum quia negare non poſſumus, hoc eſſe cauſam ſuæ occiſioni præbere, quod nemini licet *f*. Tum quia ſcire non poteſt veram iudicis volūtatē eſſe adeo firmatam: quamuis eā verbis iratis explicet: interdum enim iudices fingere ſolent.

30 Dixi *Inordinate*; quia qui iuridice id facit, non peccat, vt qui iuſte accuſat, imo meretur, alijs circumſtantijs in id neceſſarijs concurrentibus, vt S. Antoninus *g* tenet, & nos *h* copioſe probamus, quāuis priuatæ vtilitatis cauſa accuſat, nec ſecreta monitio præcedat, vt ibidē probauimus poſt Adrianum *i* & Sotum, *k* quidquid Sylueſter *l*, & Caietanus *m* dicant: quia iuſte detegit; niſi odio, aut vindictæ immoderatæ appetitu id fiat.

31 Idem dicendum de eo, qui ſine accuſatione, abſque tamen mortifera intētione detegit peccata vera aliorum ſecreta, quādo & quomodo ſuā detectio Reip. cōuenit, quo ea puniat, aut caueat, ne proximus dānum ſpirituale aut temporarium accipiat. Vt qui denuntiat hæreticum, ne corrūpat: proditorem, ne prodat: lepra, aut peſte laborantem aut alio morbo contagioſo, ne ſuo morbo alios inficiat: inhabilem, ne ordinetur, aut ei beneficium conferatur, aut ne indignus ad hęreditatē admittatur: latronem, ne furetur: periurum, ne ſuo falſo teſtimonio noceat: aut adulterum & homicidā, vt ab alijs caueatur, & alios ſimiles aſſuetos, & ad nocendū præparatos: de quibus alibi *a* diximus: quia hoc nō fit inordinate: quoniam iure conceditur *b*, & conſequenter poteſt quis latronem, & furta eius occulta detegere

a Ca. iurauit. cum ei adnotat. per alios & etiam per nos, de prob. c. tenc. de re iudic.
b l. non tantum, ff. de appel. l. liber homo, ff. ad l. Aquil. ca. contigit. 7. de ſent. excomm. gl. ſing. l. pactū inter hæredem, ff. de pact.
c Vt dictum eſt ſupra, ca. 12. num. 3.
d De ratione teg. & dete. memb. 3. qu. finali.
e Vbi ſupra.
f Cap. ſi non licet, 23. q. 5.
g 2. par. ti. 8. c. 4. ante, pa. 19g.
h Vbi ſupra.
i In 4. de Corr. frater. col. 17. verbo ad 2.
k In dicto li. de ratio. teg. membr. 2. q. 5 pag. 10.
l Verb. accuſatio, q. 3.
m 2. 2. q. 73. art. 7.

a Vbi ſupra à n. 854. vſque ad num. 855.
b l. ſi quidē, c. de iniur. l. ſi quis, & l. cū qui, ff. eodem cum additis vbi ſupra n. 848.

ad euitanda damna Reipub. & priuatorum, etiam ſine correctione fraterna, ſi per eam non ſperatur correctio, alias non, niſi præuia illa, ſi de illis ſpecialiter & iuridice interrogatus non fuerit, iuxta Ioan. Maiorem c.

c In 4. libro ſent. diſt. 25. q. 2.
d S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1.
e Vbi ſupra, num. 702.
f Prou. 24.
g Lib. 5 q. 7. art. 1. de iuſti. & iur.
h Vbi ſupra num. 698.

32 Vnde non peccat, qui cauſa vitandi damnum corporale, aut ſpirituale innocentis crimen alterius detegit: nam Paulus ſciẽs Ioannem equum furatum fuiſſe, cuius Petrus falſo accuſatur, & iniuſte condemnabitur, niſi Paulus peccatum ſecretum Ioãnis detegat, ſi ob id Petrus liberãdus fuerit, detegere tenetur *d*, & latius tradimus *e* per illud *f*: *Erue eos, qui ad mortem deducuntur:* & alia, quod poſtea tenuit Sotus *g*. Sic etiam non peccat, qui vt teſtis corã ſuo iudice & ſuperiore delicta & defectus proximi detegit: quia hoc non detegit inordinate, vt late *h* probauimus. Nec qui ſua delicta, culpas, & defectus ſuo iudici, & ſuperiori confitetur, quando, cur & quomodo iure diuino & humano poteſt aut debet: quia hoc non eſt detegere inordinate, vt *i* copioſe probo, multa peculiaria de hac re attingendo.

i Vbi ſupra.

33 Dixi, *Niſi aliqua circumſtantia excuſet à mortali*; tunc enim non eſſet peccatum, aut nõ niſi veniale. Vtcum quis peccata mortalia eius, qui ſe de illis iactare ſolet abſque intentione eũ lædẽdi detegit, quia eius fama ſaltem notabiliter non læditur, vt *k* diximus: & qui abſque intentione lędendi detegit perſonæ, quæ non oberit, & forte proderit: qualis eſt is, cui dicere perinde eſt, ac nulli dicere; quales etiam parentes & alij, qui credũtur nullatenus nocituri, nec publicaturi *l*. Quare illud Caietani *m*, detectio mali parenti facta non eſt peccatum, limitandum eſt, niſi huiuſmodi peccatum eſſet, & eiuſmodi parens, vt detectio facta ei plus, vel æque noceret filio, quam facta aliis.

k Vbi ſupra.
l Cap. hoc videtur 12. q. 5.
m 2. 2. q. 73. a. 2.

34 *Decimoſexto* peccat, qui inuenit ſcriptum, in quo aliquis ſua peccata ad memoriã ſuę confeſſionis ſcripſerat, & ea diuulgat; niſi eſſent talia peccata, quorũ euulgatio parum famę noceret. Idem de illo, qui legit, etiã ſi nõ diuulget ſchedulam, in cuius principio ſcriptũ erat: Memoriale meorũ peccatorũ, aut aliud ſimile, quod ſcire teneretur eius auctorẽ nolle ea ab alio legi, vt *a* diximus: quia licet forte non inueniat notabiliter lędentia, dat tamen iuſtam lædendi cauſam, quod ſufficit, per prædicta.

a Tit. ſacerdos, de pœn. d. 7. n. 8. & 9.

35 *Decimoſeptimo* peccat, qui libellum famoſum componit, in illo peccata aliena falſa aut vera occulta ſcribens, & in publicum proijcit, quo legatur, aut talem libellum inuenit, & non rupit, ſed diuulgauit *b*.

b 5. q. 1. c. 1. & 2. l. 1. C. de lib. fam.

36 *Decimooctauo*, qui peccata aliena vera, vel falſa audita ab alijs aliter quam audiuit, augendo illa, vel certitudinem illorum notabiliter alijs refert, quia perinde facit, ac ſi tamquã à ſe viſa referret: & ita idem eſt iudicandũ de vtroq; *c*. Dixi, *Aliter &c.* quia alioqui non peccaret, ſaltẽ mortaliter, ſi alias non intendit famã eius notabiliter lędere, nec lędit, nec dat cauſam iuſtã læſioni, & nõ affirmat illud verũ eſſe, nec ſcire, ſed ſolum audiſſe,

c Arg. c. dudũ 2. de elect.

necali-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nec aliquid aliud, quod eſſet iuſta cauſa credendi interueniat: puta auctoritas perſonę cum additione aliquorum rē certiorē facientium, quibus probabilis cauſa credendi audientibus præbeatur, vt *d* dictū eſt. Dixi, *Abſque animo notabiliter lædendi*; quia ille non ſolum hoc, ſed quodlibet aliud colloquium facit mortale, per dicta ſupra *e*, quamuis adderet ſe non credere.

d In diſt. re- re nu. 450.
e Eod. c. n. 1.

37 *Decimonono* peccat, qui audit detrahentem mortaliter, aſſentiendo, vel non reſiſtēdo, quum id facere deberet: nam qui audit detrahētē, plus & minus æque atque ille peccare poteſt, & etiam mereri: qui enim audit incitando alium, & interrogando quo diceret, poteſt plus, quā qui dicit, peccare, iuxta Adrianū *f*, per decretū Vrbani *g*, quod tamen nō loquitur de eo, qui audit & eſt cauſa mali, ſed de eo, qui malum non eſſe defendit: & ob id melius probant duo capitula S. Auguſtini *h*, vt *i* diximus: qui autē audit, nec præbendo ad id cauſam, nec impediendo eo ſe delectans, tantum, quantum, qui dixit, ceteris paribus, peccat, iuxta S. Tho. *k* Qui tamen audit ſine aſſenſu & delectatione, quod ita detrahatur, licet non contradicat ob verecundiam, aut aliā nō prauam rationem humanam, non peccat mortaliter niſi in tribus caſibus, iuxta S. Thomam *a*. *Primus*, ſi eſt ſuperior, puta, iudex, parēs, aut magiſter, qui reſiſtere tenetur. *Secundus*, ſi aduertit ex eo magnum damnum dicenti, vel alteri euenturum vltra infamiam, & quod contradicendo vitare poterat. *Tertius*, quando fama eius, cui detrahitur, notabiliter læditur, vt *b* poſt S. Antoninum, & Caietanum *c* probauimus: qui vero reſiſtit verbis, aut geſtu triſti, aut alijs ſignis ad illud idoneis, regulariter meretur, vt ibidem addimus.

f Quolib. 11. quæſt. 2.
g Capit. qui aliorū, 24. q. 5
h Cap. ille c. qui exigit, 12 q. 5.
i Vbi ſupra.
k 2. 2. q. 15. art. 4.
a In d. q. 75. art. 4.
b Vbi ſupra n. 548. & 549.
c Verb. detractio.

*Vigeſimo* peccat, qui interrogatus de vita, & moribus alicuius, vel alias cū teneretur ad notificādas virtutes illius, tacet eas cū eius notabili dāno boni quæſiti, vel quęrēdi, per ſupradicta.

38 *Vigeſimoprimo* peccat, qui iudex inquirit ſpecialiter, vel per viā inquiſitionis procedit contra aliquem, nulla præcedente infamia, quia intendit lædere famā illius, aut lædit, aut dat cauſā læſioni inordinatæ cōtra iura, quæ prohibent ſpecialiter procedi per viam inquiſitionis contra aliquē iuſta infamia non præuiad. Nec ſufficit, quod ſciat eſſe duos, aut tres teſtes, quibus eius delictū probari poſſit *e*, & à fortiori minus, quod ſint aliqua indicia, & *f* euidenter probauimus *g*, quod Sotus *h*, & Caieta. non ſatis diligenter aduerterunt propter dictū quoddā S. Tho. non bene intellectū, vt ibi declaramus. Dixi, *Specialiter*; quia generaliter inquirere poteſt, nulla perſona, nec vllo delicto expreſſo *k*. Dixi etiam, *Per viam inquiſitionis*; quia per viam accuſationis legitimæ poteſt, vt ſupra dictum eſt. Sufficit autē, quod delictum ſit notorium, licet delinquens ſit occultus, ad hoc, vt quæri de eo poſſit generaliter, ſed non vt quæratur nominatim, an ille, aut ille id fecerit, & ibi cōtra prædictos cum Innoc. communiter recepto diximus, & latius, & neruoſius Cō. rubricæ *l*.

d Cap. ſuper his & c. qualiter & quādo 2. de accuſ.
e Per ca. inquiſitionis co. titu.
f Vbi ſupra.
g Num. 580.
h De ratio. teg. memb. 2. q. 6. verſ. at vero, & clarius paulo poſt, verbo tertium dubium.
i 2. 2. q. 69. a. 2
k l. congruit ff. de offic. præſi. & c. 1. de offic. ordin.
l De iudic. à num. 77.

39 *Vigeſimoſecundo*, qui iudex interrogat reum poſt confeſſum delictum de ſocio, aut auxilium præbente, ſi adhuc erat occultus, extra caſus infraſcriptos, in quibus id facere licet, eadem ratione qua ſupra. Idem eadem ratione de reo, qui ſocios occultos indicat extra caſus prædictos, vt *m* diximus.

*Vigeſimotertio* peccat, qui Prouiſor, Vicarius, aut Officialis generaliter omnibus ſubditis pręcipit, vt qui viderunt, aut audierunt talem delinquentem, denuntient, ſecundũ Sotũ *n*, ratione ſupradicta: quia id eſt contra ius, per quod ſubditi non tenẽtur denuntiare delinquentẽ, vt eum puniat, ſed vt damnum, quod fecit reſtituat, quod poteſt reſtitui abſq; eius denũtiatione. Oppoſitum tamen melius viſum fuit *a*, & idem nunc videtur, tum quia talia mandata generalia intelligenda ſunt ſecundum ius *b*, & intelligenda ſunt ſalua fraterna correctione: & conſequenter quando ea eſt neceſſaria, iuxta S. Thom. *c* cõmuniter receptũ, hoc eſt, ſi fur, aut læſor ſecreto admonitus noluerit reſtituere.

Tum quia vſum ferendi eiuſmodi mandata recepiſſe videtur Eccleſia. Tum quia Caieta. *d* dixit non peccare iudicem interrogando reum iam confeſſum ſuum delictum de ſocijs generaliter, quando ſunt tales, de quorum alijs poteſt interrogare, de alijs non, ſi eius intentio non ſit interrogare, niſi de illis, de quibus iure poteſt & debet. Tum quia illic affatim eius fundamẽtis reſpondimus, quamuis fateamur, melius fore, vt iubeat ſola illa, quæ ſunt notoria, vel publica per famam denuntiari *e*.

40 *Vigeſimoquarto* peccat qui Prælatus, Iudex, Viſitator, aut quiuis alius priuatus procurat, aut vult noſcere peccata ſecreta alicuius, à quo, quando, cur & vbi non debet, aut qui cõpellit carcere detentum ad ſtatim iurandũ ſe dicturũ verum in omnibus de quibus interrogatus fuerit, & interrogat particulariter de omnibus & ſingulis caſus partibus ob quem carcere detinetur ratione ſupradicta, & hi plus peccãt, quam qui audiunt ſimpliciter detractionem mortalẽ cũ aſſenſu, quoniam illi ſunt tãta, vel maior cauſa detractionis, quam qui cũ ſimplici aſſenſu audiunt detractionem mortalem; & ſupra dictũ eſt, peccare mortaliter eum, qui cum aſſenſu detractionem mortalem audit.

## Fama quomodo reſtituatur, aut condonetur.

41 Vigeſimoquinto peccat, qui non vult reſtituere damnum famę notabile datum iniuſte à ſe, vel ab eo, cuius hæres eſt, alteri illud non condonanti, ſi nulla cauſa excuſat; quia damnum famæ neceſſario reſtituendum eſt, vt late *f*, probamus. Tũ per textum memorabilem *g*. Tum quia bonum famæ maius eſt, quam bonum pecuniarium *h*, & damnum boni pecuniarij neceſſario eſt reſtituendum *i*. Ergo & damnum famæ, vt tenent S. Thom. *k* S. Antoninus *l*, & communis, S. Thomas, Richardus & alij *m*, & Hoſtienſis *n*. Vnde licet abũdantia boni pecuniarij

m vbi ſupra, num. 585.
n Vbi ſupra, pag. fin.
a In d. rep, conclui. 6.
b l. ſi procurator, ff. de condict. indeb. c. cauſam quæſt. de reſcript.
c 2. 2. qu. 33. art. 1. ad 1.
d Tomo 1. Opuſcu. Tra. 31. reſponſ. 5. ad 1.
e Iuxta cap. qualiter, & quando, 1. cũ ei adnot. de accuſat.
f In repet. c. inter ver. 11. q. 3. concl. 4.
g In c. quiſquis, 5. q. 1.
h Prouer. 22. & Eccleſ. 41. cum alijs relatis vbi ſupra nu. 218.
i Cap. peccatum, de reg. lib. 6. cap. ſi res aliena, 14. q. 6.
k 2. 2. q. 62. ar. 1.
l 2. part. tit. 2. c. 2. parag. 3
m In 4. lib. ſent. diſt. 15.
n In ſumma de pœnis verſ. quid de accuſatore.

cuniarij ei,cui debetur, interdum debitorem à reſtituendo, ſaltem ſtatim excuſet, abundantia tamen bonę famę non item, imo ad reſtituendam eam magis obligat, vt recte Ioan. Maior *o* probat. Quin etiam ſicut qui notabiliter famam lęſit per vnum peccatum, habentem alia notoria peccata mortaliter peccat, ſic ad reſtitutionem damni tenetur, vt recte Adrianus *p* probat, & S. Thomas *q* ſentit, perpendens id Caietan. quidquid in hoc Palud. *a* fine ſenſerit.

43 Imo & qui ob vitę periculum, aut alias rationes famam reſtituere non poteſt, eam compenſare tenetur; vt qui alium percutit, aut manum abſcindit, quam reſtituere nō poteſt, iuxta legem diuinam *b* renouatam *c*, & declaratam ibi per Doctores *d*. Nec infamans excuſatur ſaltem quando mentiendo infamauit, eo quod in alijs duplo, vel triplo magis eiuſdem famam augeat, iuxta eundem *e*, vt ibi ſupra diximus. Nec etiam excuſatur, eo quod infamatus ſe ab infamia liberauerit ſuis optimis factis, falſitatem eius, quod ſibi impoſitum fuit, docens, aut abolita eorum apud quos infamatus fuit mala, quam ipſi conceperunt, opinione, eo quod vanitatem detrahentis intellexiſſent, iuxta Adrianum *f*. Quod quamuis *g* ſequuti fuimus, nunc tamen non ſequimur, quia eius rationes ſolum probant teneri ad reſtituendum damnum, quod infamatus accepit, quamdiu infamatus manſit, ſed non ad famę iam recuperatę reſtitutionem.

Porro addo *primo*, quod infamatus, quando ex ſua infamia Reſpublica damnum capit, tenetur ad procurandam reſtitutionem famę ſuæ, quando eſt perſona publica, iuxta S. Gregorium *h*, & S. Thomam *i*, & declarationem cuiuſdam dicti S. Auguſt. *k* poſitam vbi ſupra *l*.

Addo *ſecundo*, quod damnum acceptum à male infamato durante infamia, non eſt integre reſtituendum, ſed tantum, quantum prudenti & bono viro viſum fuerit, ſecundum Sotum *m*, quod noſtro iudicio intelligendum eſt de damno boni quęrendi, & non de damno boni iam quæſiti *n*.

44 Dixi, *Damnum datum*; quia volitum, & non datum, eo quod dari non potuit, vel pœnituit, non eſt reſtituendum, quia volens nocere, noxa non ſequuta peccat quidem, ſed non tenetur reſtituere, per ſæpe dicta *o*. Vnde qui detrahit alicui apud aliquos animo infamandi eum, etiam per inuidiam, odium, vindictam, quæſtum, aut aliam rationem iniuſtam, ſi illi ob id malam opinionem non conceperunt, nec bonam amiſerunt, non tenetur reſtituere famam, quia eam non abſtulit, licet in eo peccet, vt Adrianus determinauit, quem ſequimur *p*.

Addo *tertio*, quod tenetur reſtituere, qui immodice laudando aliũ, alterius famã notabiliter extenuat, ſecundũ eundẽ *q*; quales multos in Curiis, aulis, ſcholis, imo & religionibꝰ reperias *r*.

45 Addo *quarto*, quod qui famam alienam mentiendo læſit, debet eã reſtituere, aſſerẽdo ſe fuiſſe mentitũ, aut ſaltẽ dixiſſe falſum,

o In dicta d. 15. q. 16.
p Quod. l. 11.
q 2. 2. q. 73. art. 1.
a In 4. d. 19.
b Exod. 21.
c Per ca. 1. & de iniur.
d Et l. ex hac ff ſi quadr. Pau. S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. & in 4. receptus ab alijs, diſt. 15. q. 1. art. 6.
e In 4. libro ſent. de reſtit. q. 14.
f In dicta q. 34.
g Vbi ſupra num. 881.
h Homil. 9. ſuper Ezechiel.
i 2. 2. q. 72. art. 3.
k In ca. nolo, 12. q. 1. & ca. non ſunt audiẽdi, 11. q. 3.
l Num. 268.
m lib. 4. q. 6. art. 3. de iuſt. & iur.
n Arg. c. ſi. de iniur.
o In c. præced. & vbi ſupra n. 685.
p Quoli. 11. literæ Ro.
q Vbi ſupr. num. 773.
r In dicto Quodlibet. col. penul.

ſum,imo & teſtes adducere,ſi opus fuerit, quo eis diſſuadeat,
quibus contrarium perſuaſit,ſecundum Sotum *a*. Quorum po-
ſtremum durum videtur nobis putantibus ſatis eſſe iurare ſi a-
lias ei non crederetur. Tum quia maiorem cauſam dat creden-
di reuocationem iurando eam,quam dederat credendi falſum,
quod eis ſine iuramento dixerat. Tum quia numquam fuit in
vſu. Tum quia teſtibus tunc demum ad ſummum eſſet opus,
quum eſſet ſuſpicio illum ad reuocationem precibus vel pre-
tio,& non conſcientia inductum.

Addo *quinto*,quod etiam infamans detegendo delictum verũ
occultum reſtituere tenetur,iuxta S. Thomã *b* communiter re-
ceptũ,non quidẽ aſſerendo ſe falſum dixiſſe, ſed male loquutũ
fuiſſe:quod non ſufficere dixit Hoſtienſis *c*. Et ideo Ioan. Ma-
ior *d* aſſerit oportere,& ſatis eſſe ita dicere: Quando tale deli-
ctũ de tali dixi,illud verum exiſtimabam , ſed adhibita poſtea
diligentia inueni me praue loquutũ. Qui modus licet aptior ſit,
quia nullum mendaciũ continet,neque ex eo tam facile, atque
ex communi colligi poteſt verũ eſſe id,quod male dictum fuit,
non tamen videtur tutus quoad viros prudẽtes & doctos, apud
quos præſtaret reſtituere laudando ſæpius virtutes,quas habet,
eis perſuadendo,vt pro tali habeant,nulla mentione facta mali
antea per eum detecti,licet vere,iuxta Caietanum *e*.

46 Addo *ſexto*,dicere Sotum *f*,eum, qui verum dicendo infa-
mat,non teneri ad tantã reſtitutionem,ad quantam qui men-
tiendo id facit. Quod nõ videtur nobis tutũ; quia licet plus pec-
cet,non tamen plus nocet. At reſtitutio,cũ actus ſit iuſtitię,vt *g*
dictũ fuit,potius reſpicit nocumentum, quam modum nocen-
di. Dixi, *Ab eo cuius hæres eſt*;quia heres detractoris non ſolũ in
iudicio exteriori,ſed etiam in interiori tenetur reſtituere, ſecũ-
dum Adrian. *h* id efficaciter probantẽ & aſſerentẽ, ita mortali-
ter peccare hæredẽ,qui prædictam cõpenſationem pro defun-
cto nõ facit,ac ſi nõ ſolueret alia debita. Dixi, *Condonanti*; quia
obligatio reſtituẽdæ famæ ab infamato cõdonari poteſt,vt ſen-
tit S. Antoninus:& eũ non referens illud exprimit Adrianus *k*,
& poſt hunc Sotus *l*. Tum quia poteſt quis dãnum ſuorũ bono-
rum condonare regulariter,ſecund. gloſſ. receptã *m*; & fama eſt
de bonis noſtris. Tũ quia poteſt quis remittere quod ſibi debe-
tur in caſibus à iure nõ prohibitis,ex quibus hic non eſt *n*. Cõ-
trarium tamen tenet Caietanus *o*,& Ioan. Maior. Ad quorum
fundamenta reſpõderi poteſt, *primo*,concedendo peccatũ eſſe
ſe ipſum ſine cauſa infamare,& etiam interdum infamiam cõ-
donare,ſed negando ex hoc caſu ſequi eius remiſſionẽ non va-
lere,quia etiã interdũ peccat,quia amittit ſua bona, aut debitũ
remittit *a*,eius tamen remiſſio valet,ſi aliud nõ obſtat. *Secũdo*,
quod damnum infamiæ principaliter tãgit infamatũ,& minus
principaliter bonum publicum,& ſufficit condonatio eius ad
quem dãnum principaliter pertinet *b*,cum adductis ibi late per
Hippol.

*a* Lib.4.q.6. art.3.de iu. & iur.
*b* 2.2.q.62.a.2.& in 4.lib. ſent.diſt.25.q.2.a.5.ad 2.
*c* In d. verb. quid de accuſatione.
*d* In d.diſt.25.qu.16.
*e* 2.2.q.72.art.3.
*f* Lib.4.q.7.art.3.de iuſt.& iur.
*g* Supra cap.27.num.6.
*h* Quolib.11
*i* 2.part.tit.2 c.1.parag.3.
*k* In 4.de reſtit.q.33. Quolib.11.
*l* De ratione teg.vel deleg.ſecr.mẽbr.1.qu.3.
*m* Verb.reſtituat,cap. peccatum, de regu.iur.li.6.
*n* Cap. ſtatutum parag. ſi quid adiuncta gloſſ.de reſcr.l.6.exigit.de cenſi. 50.l.per totũ ab ſpeciali.
*o* 2.2.q.73.a.2.&in ſumma verb.
*p* In d.diſt.25.q.16.
*a* Cap. quod dicam 4.q.4. Arch.in c.ſicut hi,47.diſt
*b* Ca, quamnis pactum iuncta gloſ. de pact.lib.6 gloſſ.l.de vno de re iudic.

Hippol. nam ſi mille modij tritici mihi ab aliquo comburãtur, non ſolum mihi, ſed etiam ciuitati damnum fit, & pauperibus, qui ſibi de eo prouidere de emptione, aut eleemoſyna potuiſſent; ſed quia ad me ſolũ principaliter pertinent, & ad ciuitatẽ & pauperes minus principaliter, mea ſola condonatio comburentẽ illos liberat, vt copioſius *c* diximus. Opinio tamen Maioris & Caietani poſſet habere locũ in illis quatuor caſibus, in quibus ſupra *d* dictũ eſt peccare mortaliter eũ, qui ſeſe infamat. Per quæ reſpondetur ad noue quæſitum, quod non ſolum poteſt condonari aliquando famæ reſtitutio, ad hoc vt condonatio valeat, ſed etiam ad hoc, vt condonatio ſit iuſta, & meritoria, quando ſcilicet fit iuſta de cauſa, & alijs circumſtantijs concurrentibus, cum quibus etiam alterius debiti remiſſio eſt meritoria *e*. Dixi, *Alteri*; quia nemo tenetur eam ſibi reſtituere, niſi in prędictis quatuor caſibus in quibus remiſſio famæ non valet, & detractio eſt peccatum mortale.

47 Ad *primum* noue hic quæſitum, An qui ſe mutuo infamarũt per compenſationẽ à reſtituendo excuſentur: Reſpondeo negatiue. Tum quia non videtur eſſe locus in hoc compenſationi per dicta Panor. poſt alios *f*. Tum quia damnum illi illatum per reciprocã infamiam non tollitur, ſicut debitum vnius per debitum reciprocũ alterius *g*. Ad *ſecundum*, quod condonatio infamiæ factæ petenti generaliter veniã omnium detractionũ excuſat reſtitutionẽ earũ, ad quas veriſimilis intentio cõdonantis extenditur, & non aliarũ *h*. Ad *tertium*, quod infamatus conuerſando familiariter cum infamante videtur quidem remittere iniuriam *i*, non tamen obligationem reſtituendi ſibi famã, quã abſtulit: ſicut nec alius creditor per conuerſationem cũ debitore remittit debitum *k*. Dixi, *Ceſſante cauſa*; quia ſunt aliquot cauſæ ab hac reſtitutione excuſantes *l*, è quibus eſt iuſtus timor mortis & ſalutis, quamuis teneatur ad reſarciendum damnum alia via; quia quatuor ſunt bonorum ordines, videlicet, animæ, corporis, famę aut honoris, & pecunię, & bona primi ordinis ſunt potiora bonis ſecundi, & ſecundi potiora tertij, & tertij potiora quarti, vt tractauimus: & nemo tenetur reſtituere bona inferioris ordinis cum iactura bonorum ſuperioris, quamuis ſic cum iactura bonorum eiuſdẽ, aut inferioris ordinis, vt ſingulariter Caietanus *a* determinauit. Cuius determinationẽ in hac traductione *b* defendimus aduerſum Sotum *c*.

Ad dubium autẽ, quod videtur hoc conſequi, An hic, qui ſuo mẽdacio fuit cauſa, vt alius perderet maxima bona, excuſaretur à reſtituẽdo, ſi reſtitutis eis perderet locum bonoris, quẽ habebat in populo ratione diuitiarum: Reſpondeo concedendo ſequelam, quoad talem reſtitutiouem, quæ non poſſet fieri ſine tantę falſitatis detectione, non autem quoad aliam *d*. Porro ex eiſdem cauſis eſt tãta obliuio dictę infamationis, vt perinde ſit, ac ſi numquam dictum fuiſſet, ſecundum S. Antoninũ *e*, ne pro

reſtitutio.

c Vbi ſupra. n. 878. & 885

d Num. 28.

e Iuxt gloſſ. c. peccatum de reg. iur. lib. 6.

f In c. bona fides, de depoſi.

g l. 1. ff. de compenſat.

h In Arg. l. cum Aquil. ff de tranſa.

i l. non ſolũ parag. 2. ff. de iniur.

k l cum de indebito, ff. de prob.

l In d. reper. concluſ. 4. & ſeq.

a 2. 2. q. 62. a. 6. ad 3. & in paruis Opuſculis l. 37. reſp 14.

b Supra cap. proximo, n. 89 & ſeq

c Lib. 4. q. 6. ar. 3 de iuſt. & iure.

d Iuxta cap. officii de pœn. & remiſſ. ſupra c. 19. num. 45. declaratum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reſtitutione famæ reuocatio infamię fiat, quãuis mea ſententia reſarcire deberet iudicio boniviri, pecunia, beneficiis, aut laudibus damnum, ſi quod à tempore illatæ infamiæ vſq; ad eiuſdẽ obliuionem fuerit paſſus. Dixi, *Ac ſi nũquam dictũ fuiſſet*; quia ſi qua eius memoria reſtat, reſtitui debet. Tum quia ſingulariter Caietanus *f* determinauit, eum, qui adoleſcẽs falſo apud ęquales iactauit ſe cum tali puella rem habuiſſe, & poſtea ſenex illius peccati & dãni, quod proximo intulit, recordatus eſt, apud eoſdem mendaciũ reuocare teneri. Tum quia difficile eſt certo ſcire, id in perpetuam obliuionem veniſſe, cum quod quis vno die non meminit, altero die recordetur. Tum quia interdum tanto firmius credimus, quanto quis detractionem, quã fecit poſt tot annos, & poſt tam frequentem confeſſionem, ac communionẽ non curat reuocare. Adde, quod Caietanus ſentit huic moderationi non eſſe locum, niſi in detectore veri ſecreti, nam ſecundũ ipſum impoſitor falſi tenetur ad reſtitutionem, nõ obſtante obliuione: quod durum nobis videtur: deberet enim ſufficere ſaltem quærere ab eo apud quem id impoſuit, num alicuius delicti, quod de tali dixiſſet, meminiſſet? & ſi reſponderet negatiue, eum rogaret, ne ob aliquod ſuum delictum eum peiorẽ putaret, teſtans ſine aliqua expreſſione, falſum ſibi dixiſſe.

e 2. part. tit. 8 c. 2. parag. 3.
f In 2. 2. qu. 62. a. 2. ad 2.

48 Ex eiſdem eſt etiam diuulgatio eius, quod male detectum fuit, facta alia via, quamuis teneretur reſtituere damnum, interiecto tempore à tempore infamiæ vſque ad diuulgationem acceptum, vt ſingulariter ſentit Adrianus *g*, & nos probamus *h*. Dixi, *Iuſte*, ad ſignificandum, quod ſicut nullus lædens iuſte famam alterius, vel ſuam peccat, ita nec tenetur ad reſtitutionẽ; non autem ad ſignificandum, quod omnis, qui detrahit iniuſte, ad id tenetur; excuſatur enim ob prędictas cauſas, & quoties non dedit iuſtam cauſam credendi, vel non fuit ei adhibita fides, vel læſio fuit parua.

g In 4. de reſtit. q. 33.
h Vbi ſupra à nu 619. & à num. 804.

49 Vnde non obligatur accuſatus de vero crimine ſecreto, ad reſtituendum famam, quam accuſator amiſit, eo quod illud nõ probauerit, ſi illud confiteri non tenebatur, quamuis negando peccaret. Nec etiamſi confiteri tenebatur, ſi non reſpondet accuſatorem calumniari, ſed decipi. Nec quãuis reſpondeat calũniari, ſi ſibi non credatur, eo quod iudices, & alij credunt, accuſatorem (quamuis intentum probare non potuerit) cõtra ſuam conſcientiam non accuſaſſe, vt pulchre hęc omnia Caietanus *a* probauit. Et contraria communis *b* & aliorum *c* procedere poteſt in accuſato, qui ad confitendum crimen obligatus non ſolum illud negat, ſed etiam affirmat ſuam accuſationem calumnioſã eſſe, & id perſuadet, quidquid Caietanus *d* de hac re ſubtiliter magis, quam ſecure diſputet. Ad noue hic quęſitũ reſpõdeo, eum, qui ad pœnam debita minorem à iudice dãnatur, eo quod negat veritatem, quã tenebatur confiteri, non obligari in conſcientię foro ad ſubeundam eam ad quam damnatus fuiſſet confeſ-

a 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2.
b Richard. Scoti, & aliorum, diſt. 15. art. 5. q. 1. & Scoti. q. 4. a. 3.
c In aliis quæſtionibus ibidem.
d Vbi ſupra.

confeſſa veritate, quia in eo non tenetur ad pœnam, donec à iudice damnetur *e*. Dixi, *ad pœnam*; quia debitum, & intereſſe citra condemnationem, imo & poſt iniquam abſolutionem debetur *f*.

50 Nec itē obligatur, qui delicta aliena à ſe audita otioſe, abſq; tamen affirmatione ſolum refert, quamuis audientes ea credāt, ſecundum Adrianum *g*, & Syluestrum *h*, quia nō dat eis iuſtam cauſam credendi, niſi circumſtantia perſonæ, vel alia eam iuſtā efficeret, & niſi referens exiſtimet, aut exiſtimare debeat, quod audientes ea ita credent, perinde, ac ſi affirmaret, per rationes poſitas *i*, nec qui ſtulte refert delictum ſcientibus illud, quamuis tunc de illo non cogitent. Nec quando, qui dicit, adeo leuis eſt, & qui audiunt, adeo graues, vt eius dicto nihilo moueātur. Nec quando is, in quem dicitur, adeo vilis eſt, & abſque aliqua fama in illa materia, vt nullam notabilem iacturam faciat *k*. Nec qui peccatum alienū cum tali ſui auctoris pœnitentia refert, vt abſque aliqua infamia eum honoret. Nec qui ſolam occaſionem remotam infamiæ prębuit: vt qui ioco quandam monialem interrogauit, Cur filium ſuum ad fores Eccleſiæ, aut xenodochij exponi feciſſet? & illa apud Deum, & homines valde quæritans apud aliquos in prauam ſuſpicionem venit. Nec etiam iuxta Sotum *l*, detractor conſpicuus, & dignitate antecedens, reſtituere tenetur famam alicuius hominis infimę ſortis, quia, vt ipſe ait, eum excuſat pretioſæ famæ amiſſio, quam in eiuſmodi reſtitutione faceret, vt à reſtituendo aliquo exiguo bono quis excuſatur ob magnam iacturam ſuorum, quam ob id faceret. Quod vt nouum, ita videtur durum in praxin deductum, niſi alia iuſta compenſatio fieret, aut obtineretur condonatio.

## De detectione ſiue reuelatione ſecreti.

51 *Secretum confeſſionis non reuelandum, etiam metu mortis, niſi vno caſu.*
52 *Secretum quid, & quotuplex & cuius detectio mortalis.*
53 *Epiſtolæ clauſæ quæ apertio mortalis.*
54 *Secreta pernitioſa reuelanda, non autem alia, etiam metu.*
55 *Confeſſio quæ multis videtur, & non eſt Sacramentalis.*
56 *Correctio fraterna quando non neceſſaria.*
56 *Fama proximi ſeruanda, quando aliter ipſa poteſt ſeruari.*
57 *Reus quis confitendo crimen non peccat.*
57 *Reus quis conſortes tegere, aut detegere debet.*
58 *Confeſſarius quos reos ſe, & conſortes reuelare iubebit.*
59 *Iudex qui reum de ſe, & conſortibus interrogando, & torquendo peccat.*
60 *Secretum nulli nexium, etiam iudici iubenti non reuelandum.*
61 *Reuelatio mali proprij, & neglectus famæ quæ mortalis.*
62 *Secreti promiſſi detectio peior, quam non promiſſi.*

e Iuxta gloſ. receptam in ca. fraternitatis, 12. q. 2. & S. Thom. 2. 2. q. 62. artic. 3. pro quibus text. in parag. in hac ſub c. fine, 33. q. 2.
f Inno. cum communi in c. quia vtrique, de immun. Eccleſ.
g Vbi ſupra, eod. ti. ſub fi.
h Verb. detractio, q. 4.
i In dicta concluſ. 4.
k Iuxta Adrian. in dict. Quolib. 11.
l Lib. 4. qu. 6. art. 3. de iuſt. & iur.

51 V*Igeſimoſexto* peccat confeſſarius, vel quiuis alius, qui detegit aliquod peccatum, quod iuſte, aut iniuſte medio confeſſionis Sacramentalis didicit (quamuis ſit veniale) abſq; facultate iuſta de cauſa à pœnitente facta. Et conſequenter etiã interpres confitentis lingua confeſſario ignota. Et laicus, cui aliquis in extrema neceſſitate confitetur, & doctor, à quo conſilium de confeſſis petitur. Et qui ſe confeſſarium finxit, quo alicuius peccata noſceret, etiam ſi tormentis adactus, & quamlibet maximo metu mortis id fecerit; quia omnes iſti obligantur ad ſubeundum potius mille mortes, quam id facere, vt prędidus Doctor *a* dixit, & nos ante ipſum copioſe *b* ſcripſimus.

52 Pro cuius, & aliorum declaratione dico *primo*, quod ſecretum in genere definiri poteſt *eſſe id, quod à nemine, vel à tam paucis ſcitur, quod neque eſt famoſum, neque notorium*, ex mente S. Thom. *c* & eiuſdem, & Scoti *d*, & Caietani *e*.

a Lib. de ratione teg. memb. 3. qu. fin.
b In c. ſacerdotes, de pœn. diſt. 6. à n. 116 vſque ad nu. 293. & poſt ipſum in di. repet. concluſ. 6.
c 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.
d In 4. libr. ſent. diſt. 21. ibi recept.
e 2. 2. q. 11. art. 3.

Dico *ſecundo*, quod diuiditur in ſecretum, quod de ſe ab vno ſolo ſciri poteſt: quales ſunt ſoli, & omnes actus interiores animę hominis; & in ſecretum, quod de ſe à plurimis ſciri poteſt: qualis eſt omnis actus exterior, qui nõ eſt famoſus nec notori⁹: quod rurſus diuiditur in tres ſpecies. *Prima*, quę de ſe ſine vlla promiſſione ſcientẽ obligat ad ſe celandũ regulariter: quale eſt omne occultũ cuius detectio noceret animę, corpori, honori, vel famę, vel fortunis alicuius *a*. *Secũda* eſt, cuius celatio à ſciẽte expreſſe, vel tacite promiſſa eſt. Tacite promittitur, cum id colligitur ex modo dicendi ſecreto, nulla de celando expreſſa promiſſione facta, vt doctor ſubtilis *b* ſentit. *Tertia*, ad quam celandam lex diuina poſitiua confeſſionis Sacramentalis obligat. *c* Tale eſt omne peccatum Sacramentali confeſſione detectum.

a Ca. ſi peccauerit, 2. q. 1. & notatur in c. qualiter, & quando, 1. de accuſ.
b Vbi ſupra.
c De qua ſupra ca. 8. n. 3.

Dico *tertio*, quod *prima* ſpecies ſecreti præcipitur illa lege naturali generali de nõ nocẽdo proximi animę, corpori, honori, vel famę, aut fortunis, quę decerpitur ex ſeptẽ pręceptis ſecũdæ tabulę Decalogi *d*, quæ probãt non eſſe nocendũ proximo aliquo modo. *Secunda* vero prohibetur lege naturali de pręſtãdis promiſſis *e*. *Tertia* vero etiam per legem diuinam poſitiuã de ſeruando ſecreto cõfeſſionis, & ideo tam obligat, quam aliæ duę, quia obligat quotquot illud directe, aut indirecte ſciũt ſub pęna peccati mortalis in omnibus caſibus, vno ſolo excepto, ſcilicet quando pœnitens iuſta de cauſa illius detegendi facultatẽ facit, vt *f* late probauimus. Et ſecunda magis obligat, quam prima, quia obligat in omnibus caſibus, in quib⁹ prima, & aliquot alijs: nam qui promiſit ſeruare ſecretum, ex quo ſeruato graue dãnum alteri non infertur, nõ debet detegere illud, etiam præcipiente ſuperiore. At prima ſpecies non æque obligat: quod enim quis ſcit aliter, quam per ſecreti cõmiſſionem, tenetur reuelare ſuperiore præcipiente, etiãſi ex eo ſeruato nullus læderetur, ſecundum S. Thomam. *g* Verum eſt tamen quod promiſſio ſeruandi ſecreti parui momenti non obligat, niſi ad ſummũ

d Exod. 20.
e l. 1. ff. de pact.
f In d. ca. 8. diximus, & in d. c. ſacerdos, à num. 30.
g 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

ad venia-

ad veniale, vt recte Caietanus dixit *h.* ſicut nec ſecretum de occultis parui momenti, & venialibus obligat ad maius. Nō enim magis peccatur detegendo riſum tuum immoderatum veniale ſecreto mihi dictum, quam ſi riſum eundem ſecreto à te fuſum detegerem, ſecundum eundem.

h In dicto art. 1.

Dico *quarto*, quod omnis detectio peccati confeſſione Sacramentali decreti, aut per eius medium ſciti, eſt peccatum mortale, excepto caſu prędicto, ſiue illud ſecretum ſit, ſiue publicum, ſiue graue, ſiue leue, ſecundum omnes: Quamuis interdum ſit mortale triplici ratione: vt cum peccatū detectum eſt occultū, & graue, quia eius celatio eſt tacite promiſſa. Interdum duplici: vt cum eſt publicum, & leue. Interdum vero vna tantum: vt cū eſt leue. per prędicta: veluti quādo peccatū confeſſum eſt parui momenti, aut publicum, tunc enim non eſt peccatum mortale, niſi per legem diuinam & canonicam, quamuis ſit veniale ob eius ſecretum tacite à confeſſario promiſſum. Vnde videtur, quod confeſſarius, qui reuelaret peccatum graue, teneretur cōfiteri circumſtantiam prædicti duplicis, vel triplicis vinculi, ſi adeſſet, per prædicta ſupra *a*.

a Cap. 6.

Dico *quinto*, quod detectio ſecreti aliarum duarum ſpecierum eſt mortalis, niſi fiat in caſu à iure permiſſo, aut res ſit tam parui pōderis, quod eius detectio nemini notabiliter noceat, & abſq; intētione notabiliter nocendi fiat: quia quamuis id obuiet legi naturali prædictæ de non nocendo, nec reuelādo malo ſecreto, vel ſecreto commiſſo, propter tamen paruitatem damni deſinit eſſe mortalis, ſicut mēdacium etiam eſt contra illam, & non eſt mortale, niſi ſit notabiliter nocens, vt dictum eſt ſupra *b*. Et furtum parue rei contra legem quidem naturalem eſte, non eſt tamē mortale, per prędicta *d*. Ratio autem, quare detectio peccati, etiam leuis confeſſi ſit mortalis, eſt quia licet per eā parum lædatur proximus, plurimum tamen læditur Sacramentum confeſſionis, & publica vtilitas, quatenus retrahit pœnitentes à cōfitendo, ne confeſſa peccata publicentur, quæ colligitur ex iure Canonico. *e* Oportet autem vt ſciatur ſecretum eſſe parui ponderis ad hoc vt eius detectio non ſit mortalis, quia ſi probabiliter dubitetur, an ſit grauis ponderis, mortalis eſſet *f*.

b Eodem n. 2
c l. 1. ff. de furt.
d Supra c. proximo n. 8.
e Ex ca. ſi diligēti, & notatis ibi de foro comp.
f Arg. cap. ſi quis autem, de pœn. diſt. 7. & eorum quæ ibi late tradimus.

53 *Vigeſimoſeptimo* peccat mortaliter, qui reſerat, aut legit literas obſeratas, aut ſcripturas alienas, quę in ſecreto obſeruabantur, animo lædendi aliquem notabiliter, vel lædendo, aut aduertēs, vel aduertere debens quod inde poſſet notabile damnū ſequi, per prædicta *g*, niſi ex conſenſu expreſſo, aut tacito eius, à quo, vel cui mittūtur, id faciat, aut de auctoritate legitima *h*: vt tempore belli Prefecti finitimis hoſtium locis eas reſerant: Prælatus item, & prelata eas, quæ ſuis monachis, aut ab eis mittuntur *i*. Peccat autem, ſed non niſi venialiter, qui aperit ſine conſenſu, imprudenter, putans eas ad ſe miſſas, aut ob curioſitatem, ſine vlla intentione nocendi notabiliter, & ſine vllo nocumento

g Sup. eod. c. nu. 2.
h Argu. l. iuſto, ff. de acquiſ. poſſe.
i Ca. non dicatis, 12. q. 1.

notabili, aut periculo probabili eius inferendi, ſola cauſa ſciẽdi noua, vel captãdi riſum ex barbara compoſitione, aut ex elegãti voluptate, quia id non eſt cõtra charitatem Dei, nec proximi neceſſario habendam; peccaret tamẽ mortaliter, ſi id faceret cũ prędicta intẽtione, vel prędicto nocumento aut periculo certo, vel probabiliter dubio nocẽdi, quia eſt falſarius *k*, & quia vtitur re aliena cõtra voluntatem domini, & ita admittit furtum *a*, per alias rationes, quas ſcripſimus alibi *b*. Nec obſtat, quod hęc ratio videtur idem concludere in caſu proxime pręmiſſo, quia in illo paruitas, vel (vt ita dixerim) nullitas damni excuſat à mortali, vt in quacumque alterius pręcepti materia, iuxta dicta *c*. Adde his illud quotidianum S. Antonini *d* ſingulariter aſſerẽtis, inimicũ mittẽtis, vel eius, cui mittitur, epiſtolam abſque aliquo peccato reſerare poſſe, ſi per illam aliquod damnum ſibi parari iuſte timet: quod videtur habere locum etiam quãdo probabiliter timetur datum iri per eam aliquod damnum iniuſtum alteri, & quo illud impediat illam reſerat *e*, cauendo tamen, quoad eius fieri poterit, ne cui vllum damnum iniuſtum inferatur *f*.

54 *Vigeſimo octauo*, qui ſecreta in iniuſtam aliorũ perniciem non vergentia Ciuitatis, concilij, aut exercitus ad eorum magnum damnum reuelat, etiamſi metu tormẽtorum, aut amiſſionis vitæ id faciat, per prædicta. Vnde ſequitur Hiſpanũ à Gallo in bello captum quantalibet tormentorum vi torqueatur, non poſſe ſalua conſcientia ſecreta iuſta exercitus Hiſpani ad ipſius conſeruationem neceſſaria detegere, nec contra, Gallum Hiſpanis ſecreta exercitus Gallicani, nec illum, qui delictum alienum ſecretum violẽter ſciuit, vt idem prædictus doctor ſingulariter affirmat, quamuis hoc, & quod de ſecretorum teſtium litigãtium detectione nullis tormentis facienda dixit, moderãda nobis videntur, vt ſolum procedant in damno irreparabili, vt quia mors vel mutilatio membri ſequeretur, non autem quãdo ſola pœna pecuniaria, vel alia ex illis, quę facile à detegẽte reparari poteſt, timetur, vt ibidem innuimus. Dixi, *in iniuſtã aliorum perniciem non vergentia*; nam talia reuelari poſſunt, exemplo illius prudentiſſimi, & fideliſſimi Chuſſai, qui conſilia Abſalonis peſſima Dauidem admonuit *g*, & Eliſęi, qui iniqua ſecreta Regis Syrię Iſraëlis Regi denuntiauit *h*: non enim peccat, imo bono fungitur officio, qui denuntiat cui, quando, & quomodo oportet, peccatores, peccata, & ſtratagemata dãnoſa Reipub. aut proximo, quia hoc iure poteſt, & debet fieri, vt latius *i* probauimus per varia iura *k*, de quibus eſt cap. *præterea l*, quatenus habet eum, qui ſcit aliquem rem habuiſſe cum conſanguinea eius, quam vult ducere, teneri denuntiare, quo iniuſtum matrimonium, & peccata, quæ ex eo orirentur, impediantur. Quæ etiam procedunt in presbytero: poteſt enim etiam ille proditiones, homicidia, & alia delicta parata denũtiare abſque periculo irregularitatis ob id incurrendæ, modo proteſtetur ſe id ſolum facere ad cauenda mala,

k Vt ait glo. approbata, c. cum olim de offi. dele.
a l. 2. ff. de furt. parag. placuit, Inſt. de obligat. quæ ex delict.
b In d. c. ſacerdos.
c In c. 11. n. 4.
d 1. par. tit. 1. c. 22. parag. 5.
e Arg. ca. non in inferenda & eorũ, quæ ibid. conferimus. 23. q. 3.
f Arg. c. cum ceſſante de appellat.

g 2. Reg. c. 17.
h 4. Reg. c. 6.
i In d. c. ſacerdos, nu. 14. & ſeqq.
k Per c. nõ in inferenda 23. q. 3. & parag. 1. diſt. 23. cap. quantæ, de ſent. excom. & c. ipſa pietas, 23. q. 4. & alia 1. l. 2. de ſponſ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mala, quę imminent, vt ſine ſanguinis effuſionis pœna impediantur, vt pulchre Caietanus *a* probat *b*, licet proteſtatio ſolum videatur neceſſaria quoad forum exterius, per dicenda *c*: Presbytero, inquam, etiam iurato ſeruare, & non detegere illa ſecreta, ſecundum Innoc. receptum *d*, modo illa aliter, quam per confeſſionem Sacramētalem nouerit: per eam enim ſolam cognita in nullo mundi caſu detegi poſſunt, iuxta communem, & veram opinionem, quam copioſe *e* probauimus, excepto vno, de quo ibi, & ſupra *f* diximus.

55 Dixi, *Sacramentalem*; quia oportet eſſe talem, per quam pœnitens verè confiteatur peccata ſua: nō enim ſufficit dicere: *Hoc tibi dico in confeſſione*, iuxta Innoc. Panor. & communem *g*, etiamſi genibus flexis, & ſigno crucis fronte ſignata id fiat, abſque propoſito confitendi peccata, & abſolutionem accipiēdi: quia talis detectio non eſt Sacramentalis, nec maiori ſecreti vinculo obligat, quam aliud extra cōfeſſionem detectum, vt recte determinat Sotus *h*, & ante ipſum clarius, & firmius Caietanus *i*, quem ille non refert: cuius rei ignorantia multi grauiter errant, & eis, quibus deteguntur, ingerunt ſcrupulos, an debeant illa detegere, dum ſuper eis denūtiandis fertur excommunicatio, vel vt teſtes coram iudice ſiſtuntur, vel vrgentur neceſſitate denuntiandi, eo quod ſunt Reipubl. aut proximo pernitioſa.

56 Aduertendum tamen, quod detectio peccati occulti, etiā alteri pernitioſi, non licet, niſi fraterna correctione præmiſſa, iuxta illud *k*: *Si peccauerit in te frater tuus l*: pręſertim ſi ea ſciens probabiliter credit ſuis precibus, & admonitione ſecreta illa impeditum iri, ſecundum S. Tho. *m* receptum communiter. Dixi, *probabiliter credit*; alioqui enim poſſet, & deberet ſtatim iudici denūtiare. Ex quo ſequitur in proditionibus contra Rempub. paratis, & hæreſibus ad docendum alios directis raro fraternā admonitionē ſecretam neceſſariā eſſe: raro enim quis probabiliter credere poteſt, proditionem & hęreſim ſola monitione omnino ceſſaturas. Aduertendū item, quod tunc demum oportet denūtiare perſonas & delicta, quādo ad occurrēdum imminentibus malis id eſſet neceſſe: quia ſi ſufficeret generalis admonitio, quod aliqua mala parātur, nō eſſet faciēda declaratio ſpecialis, & ſi ſufficeret ſola ſpecialis delictorū, nō eſſet facienda perſonarum, vt S. Thomas *n* determinauit, & nos latius ſcripſimus, vbi multis rationibus probauimus ſeruandam eſſe famā proximi, quoties ſine illius detrimento eius animæ mederi poſſumus. Aduertendū itē, quod ſicut bene facit, qui fraterna correctione præmiſſa bono animo crimen occultū Eccleſię denuntiat (quia quamuis ſit qui defendat, correctionē fraternam non eſſe lege diuina ſpeciali pręceptam, nemo tamen fere eſt, qui neget, eam lege generali caritatis præceptā,) ita qui malo animo id facit, verus coram Deo detractor eſt, ſecundum S. Thom. *a*

57 *Vigeſimonono* peccat, qui reus ſecundum iuris ordinem

a 2. 2. q. 33. art. 7.
b pro quo ſōa c. Epiſcopus, ne cleric. vel monach. li. 6. & c. prælatis, de homic. eod. l.
c Infra c. 27. num. 226.
d In c. qualiter, 1. de accuſat. Pan. in c. delicto de exceſ. prælat. & alios alibi.
e In d. c. ſacerdos, à nu. 116. ad 151.
f Proxime, n. 51. & c. 8. nu. 17.
g In c. omnis de pœn. & remiſ.
h Vbi ſupra memb. 2. q. 2. art. 1.
i 2. 2. q. 70. art. 1.
k Matth. 18.
l Relatum in c. ſi peccauerit, 2. q. 1. & in c. nouit. de iudic.
m 2. 2. q. 33. art. 7.
n Quolib. 11. art. 12. In d. c. ſacerdos, num. 14. & ſeqq.
a Vbi ſupra art. 13.

interrogatus ſua delicta ſecreta grauia non confitetur, & contra qui confitetur illa contra iuris ordinem interrogatus, ſecundum mentem omnium. Dicitur autem interrogatus ſecundum iuris ordinem ſemper, & ſolũ, quando tria concurrunt. *Primum*, quod iudex interrogans ſit competens. *Secundum*, quod delictum ſit probatum plene, vel ſaltem ſemiplene, hoc eſt ſaltem per vnum teſtem omni exceptione maiorem, vel per indicia illi æquipollentia, vel per infamiam plene probatam. *Tertium*, quod ſit notificata illi huiuſmodi probatio, vt ſciat, in quo ſtatu eſt, vt colligitur ex S. Thoma *b*, & Caiet *c*. eum pulchre declarante, quos *d* etiam latius muniuimus per multa capita *e*, quibus probatur, neminem ſe debere prodere: & quemlibet ſciẽtem ſe iam proditum per ſemiplenam probationem debere iudici pręcipienti, vt fateatur, parere.

58 *Trigeſimo*, qui reos conſortes ſuos occultos nõ detegit in caſibus, in quibus id facere debet, aut contra detegit, in quibus nõ debet. Regulariter autẽ non debet, niſi ſolum in caſibus expreſſis *f*, de quibus eſt crimẽ falſæ monetę *g*, & maleficij *h*, proditionis *i*, & hęreſis *k*. Quibus addo, quod rei, qui contra ſe confeſſi ſunt, etiam non interrogati, debent declarare ſocios, quos iuſte credunt præteritorum non pœnitere, imo paratos eſſe ad noua cum magno damno publico, aut priuato committenda, nec per Euangelicam correctionem correctum iri: quales ſunt regulariter latrones, nummorum falſarij, hæretici, ſtryges, faſcinatores, & alij ſimiles *l*. Quinimo confeſſarij eiuſmodi reos monere debent, vt tales ſocios denuntient, vt particulariter dixit Sotus *m*; quod ſi non fecerint, noſtra ſententia, ita peccant hi non admonendo, & abſoluendo, ac illi non denuntiando: abſoluunt enim impœnitentes contra ius diuinum, & humanum *n*.

59 *Trigeſimoprimo* peccat iudex, qui interrogat reum de ſeipſo, vel de conſortibus ſuis præter iuris ordinẽ, quia iniuſte dat cauſam notabilis infamię proximi, dum extra poteſtatem ſuam inquirit *o*: idem ſi contra omittit interrogare, cum debet ſecundũ eundem iuris ordinem, quia præiudicat notabiliter Reipub. cuius intereſt delicta puniri *a*. Quis autem ille ſit iuris ordo ſecũdum quem debet, vel non debet interrogare reum de ſe, in pręcedenti modo peccandi dictum eſt. De conſortibus autem non debet interrogare niſi in caſibus à iure expreſſis, & in illis non nominatim, an ſint illi, aut illi, ſed generatim, an ſint aliqui, & quod doceat reũ, ſi videt eũ neſcire, aut facit facultatẽ ei conſulendi cõfeſſarium an teneatur, & quos reuelare: alioquin enim non auderem excuſare illum à peccato mortali, præſertim ſi id faciat perſuaſus iuſtum eſſe per fas, aut nefas detegere crimina, & quocunq; modo ſeueri iudicis, atque executoris famam ſibi comparare *b*, cogendo reos ad bene vel male detegendum omnes ſuos ſocios, etiam iam coram Deo emendatos, etiamſi nulla fama, neque indicium ſit contra illos. Et minus excuſare aude-

rem

b 2. 2. q. 69. art. 1. & 2.
c Ibidem.
d Vbi ſupra.
e Per c. quando, verſic. nõ tibi dico, vt te prodas, de pœ. diſt. 1. & c. ſi omnia, 6 q. 2. & c. 2. de maior. & obed. & c. 2. de conf. & alia.
f Et not. in c. 2. de confeſ. l. 1. C. de cuſtod. & exhib. reor. l. fi. ff. ad exhib. l. latrone, l. diuus. Adri. ff. de cuſtod. & exhib. l. prouinciarum C. de ferijs, & l. 4. parag. mandatis, ff. ad l. Iul. pecul.
g l. 1. C. de falſ. monet.
h l. fina. C. de malefac. & malef.
i l. pen. & fi. C. de leg. Iul. maieſt.
k Ca. in fidei fauorem de hæretic. li. 6.
l Per dicta in dicta repet., c. inter verba concluſ. 6.
m De rat. teg. memb. 2. q. 6. pag. 17.
n Cap. pœ. 1. & 2. de pœn. diſt. 3. c. peccati venial. de reg. iur. li. 9. & cap legatur. 24. q. 2.
o Contra l. fin. ff. de iur. omn. iud & c. 2. de conſt. li. 6.
a Ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. & cap. vt fama, de ſent. excom.
b Contra l. reſpiciẽdum, ff. de pœnis.

rem eum, qui tormentis cogit reos ad reuelãdum ſocios, etiã in caſibus in quibus interrogare permittitur, quando nulla fama, neq; indiciũ, nec prẹſumptio legitima dictat eos habere ſocios, vt recte Salycer *c* concludit. Neque eos, qui in Caſtella, & Italia torquent reos de ſuis delictis conuictos teſtibus, vt confiteãtur, quo beneficiũ appellationis amittant, contra cõmunem Theologorum & Iuriſperitorum ſententiam: niſi cum adeo clare sũt conuicti, quod in conſcientia tenentur confiteri, & iuſte Iudex prẹſumet ob ſolam malitiam differendi iuſtitiam eos pernegare, vt late *d* ſcripſimus, limitando communem in hoc caſu.

c In l. final. qu. 2. C. de accuſat.

d In di. rep. ca. inter verba, concl. 6.

60 *Trigeſimoſecundo* peccat, qui peccatum ſibi ſecreto communicatum, quod non vergit in graue damnum alterius, etiam iudice competenti præcipiente reuelat, ſecundum S. Thomam *e*. Imo etiam quando vergit in damnum alterius, ſi alia via poteſt illud excuſari: quin & quando alia via excuſari non poteſt, id ſolum eſt detegendum, quod remedio eſt neceſſarium: nam dictum S. Bonauenturæ, qui contrarium videri poteſt alicui ſentire, reducendum eſt ad prẹdicta.

e 2. 2. q. 68. art. 2.

61 *Trigeſimotertia* peccat Epiſcopus, aut alius prælatus, aut publica perſona ad aliorum ſaluti prouidendum conſtituta, quæ ſeipſum infamat, aut ſe notabiliter infamantibus nõ reſiſtit, aut modeſte ſuæ famẹ reſtitutionem non petit, ſecundum S. Tho *f*. licet alij religioſi, quibus ſola propriæ ſalutis cura eſt, iuſte poſſint ferre patiẽter, quatenus eos tangit, niſi caritas Dei, aut proximi contrarium requirat. Magis enim quãdoque prodeſt proximis alacris patiẽtia falſẹ infamiẹ, quam eius contradictio, nec ob id propriam famã negligunt, cum eam Deo offerant, vt ſentit S. Thomas *a*. Dixi; *niſi caritas, &c.* quia ſicut quiuis religioſus licite curam de ſua fama habere poteſt, & eam tueri, ita ſi degit inter perſonas ad ſe imitandum paratas, ſecus faciendo peccaret grauiter *b*, & à fortiori ſi ſeipſum infamat.

f Quolib. 10. art. 13.
a Vbi ſup. & explic Caie. in ſum. verbo famam propriam.
b Iux. gl. receptam in c. ſemel Chriſtus, de conſ. diſt. 2. per d. c. nolite, & c. non ſunt audiendi. 11. qu. 3.

*Trigeſimoquarto* peccat, qui interrogatus iu iudice in viſitationib' de peccatis publicis, aut ſatis generaliter de peccatis, nulla expreſſione facta de occultis, aut iniuſte facta expreſſione de illis, reuelat occulta, ſiue ipſi fuerint ſecreto detecta, ſiue ipſe viderit ea ſecreto fieri, ſi non erant prẹparationes ad alijs nocendũ, aut ſi denuntiat quẹ probare nõ poteſt, iuxta illud: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat amici commiſſum e*: quod quatuor decretis, & alijs confirmamus *f*. Tum quia quamuis iuret ſẹ dicturum quod ſcit, vere reſpõdere poteſt ſe illa neſcire abſque periurij metu, intelligẽdo intra ſe, illud ſe non ita ſcire vt detegere teneatur *g*, quidquid dicat Geneſius à Sepulueda, & Sotus, quod neruoſius poſtea confirmaui *h*. Tum quia qui iurat dicere quidquid ſcit, intelligitur iurare dicere quod licite poteſt, & non amplius *i*.

c Arg. c. ſi nõ licet, 23. q. 5.
d Prou. 11.
e Relatum in ca. qui ambulant, 5. q. 5. S. Tho. 2. 2. qu. 70. art 1.
f In repet. c. inter verba, 11. q. 3 cõt. 6.
g Henric. de Gandauo quolib. 9. in prin. Adrianus in 4. de correc. frater parag. Hoſtienſis, col. 6.
h In c. humanæ aures 22 q. 5.
i Arg ca. 1. de furtur. li. 6. l. ſi procurat. ff. de condict. indebiti.

62 *Trigeſimoquinto* peccat, qui ſecretum ſibi commiſſum diuulgat, aduertẽs, aut aduertere debens inde ſecuturum alterius notabile damnum, aut notabilem diſcordiam, licet nõ ſit expreſſe

rogatus, nec promiſerit ſecretum, etiamſi erat tale, quod prima facie eius detectio non videretur nocitura, rogatus tamen eius ſecretum promiſit, & poterat ſubeſſe aliqua ratio, ob quã illud roganti notabiliter conueniebat celari. Quamuis ſolum ſit venialis detectio ſecreti, quam conſtat nemini notabiliter nocituram, vt recte Caietanus *k* reſoluit per ſupradicta *l*.

k 2. 2. q. 70. art. 1.
l Et in c. ſacerdos, de pœn. diſt. 6. ad nu. 30.

## De nono præcepto: Non concupiſces vxorem proximi tui.

### CAPVT XIX.

1 *Amari ſe velle amore mortali, mortale.*

1 Contra hoc præceptum eiſdem modis peccatur, quibus contra ſextum: quia vtroq; eadem explicite, vel implicite prohibentur. Quare modis peccandi contra ſextum *m* ſolum addimus, quod peccat mortaliter, qui, vel quę deliberate cupit, vel gaudet amari amore libidinoſo mortali ab alio, vel alia, quamuis non ſic amet, quia conſentit peccato mortali ſuo, vel alieno, iuxta dicta *n*: vbi dictum eſt quando voluntas, vel conſenſus in proprium, vel alienum peccatum, & delectatio moroſa ſint mortales.

m Poſitis in cap. 16.
n Sup. c. 11. num. 11.

## De decimo præcepto: Non concupiſces rem proximi tui: Et de conſilijs Euangelicis.

### CAPVT XX.

1 *Concupiſcentia inordinata rei notabilis mortalis eſt.*
2 *Ludus quid, & duplex, & quis venialis, & quis mortalis.*
3 *Ludus cauſa principali lucrandi negotiatio, & communiter mala, num. 4.*
5 *Ludens ludo vetito ſibi lege ad mortale obligante, & etiam licito ab impotente donare, vel coacto, vel dolo, mortaliter peccat, & 12.*
6 *Lex an vlla iuris communis ludi obliget ad mortale.*
7 *Ludus omnis aleæ, & principaliter ob lucrum prohibitus.*
7 *Ludus omnis etiam induſtriæ principaliter ob lucrum, ſaltem venialis, & 8.*
9 *Ludus aleæ rei notabilis clerico ſacrato & mon. mortalis, & 10.*
11 *Ludus de ſe nullus laico mortalis, & quis ei glorioſus.*
13 *Ludere quis dicatur coactus.*
14 *Ludi ſpectator clericus magis peccat quam laicus.*
15 *Ludentium ſuſceptores, &c. vt peccant.*
16 *Peccantium miniſtri quando peccant.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN